

Series II. — « ANALESTA OSBM » — Sectio III.
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція III.

EPISTOLAE FELICIANI PHILIPPI WOLODKOVYCZ

METROPOLITAE KIOVIENSIS CATHOLICI

(1762-1778)

PARS II

COLLEGIT, PARAVIT, ADNOTAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1969

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT, 8 (PIAZZA S. PRISCA)

ANNO CCCL A PRIMO CAPITULO GENERALI BASILIANORUM

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO III

Series II. — «ANALECTA OSBM» — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Серія II.

Sectio III:

DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE CATHOLICAE
IN TERRIS UCRAINAE ET BIELARUSJAE

CURA PP. BASILIANORUM COLLECTA ET EDITA

EPISTOLAE METROPOLITARUM, ARCHIEPISCOPORUM
ET EPISCOPORUM

VOL. VI

EPISTOLAE FELICIANI PHILIPPI WOLODKOVY CZ
METROPOLITAE KIOVIENSIS CATHOLICI

(1762-1778)

PARS II

ANNO CCCL A PRIMO CAPITULO GENERALI BASILIANORUM
REVOLUTO

ROMAE

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio III.
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція III.

EPISTOLAE FELICIANI PHILIPPI WOLODKOVYCZ

METROPOLITAE KIOVIENSIS CATHOLICI

(1762-1778)

PARS II

COLLEGIT, PARAVIT, ADNOTAVIT EDITIONEMQUE CURAVIT

P. ATHANASIUS G. WELYKYJ OSBM

ROMAE 1969

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT, 8 (PIAZZA S. PRISCA)

ANNO CCCL A PRIMO CAPITULO GENERALI BASILIANORUM

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S. Josaphat, die 28. XI. 1969.

P. PAULUS P. MYSKIW
Vicarius Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 15. I. 1970.

✠ HECTOR CUNIEL
Archiep. pus Soteriopolitanus, vicesgerens



STEMMA ORDINIS BASILIANI S. JOSAPHAT

DIE XX IULII

1617 - 1967

ANNO . CCCL . A PRIMO . CAPITULO . GENERALI

NOVOGRODOVICENSI

QUO . COMMUNITAS . BASILIANORUM

IN UNUM . COALUIT . CORPUS

REVOLUTO

HOC . VOLUMEN . DOCUMENTORUM

IN

MEMORIAM

DICAT

BASILIANORUM ORDO

PRAEFATIO

Gressu quidem lento series Epistolarum Metropolitanarum Kiovensium Catholicorum ulterius progreditur. Praesenti volumine periodum sat difficilem aggressi sumus, quae una ex parte documentis scriptis, ex altera vero eventibus momentosis abundat. Periodo hac Ecclesia Unita in terris Ucrainae et Bielarusjae testimonia praebuit catholicitatis et fidelitatis.

Praesenti volumine Lectori sat copiosam messem documentorum obtulimus, ut, aliis quamplurimis notitiis bio et bibliographicis adhibitis, sibi iudicium iustum et aequum de eventibus et personis efformet. Nihil proinde subtacuius, nihil praetermisimus, nulli favimus parti, ut veritas historica et aequitas ac iustitia eo clarius triumphet.

Documenta nostra ea sane aetate in lucem prodeunt, qua mens et opera oecumenica magis magisque in orbe christiano diffunduntur. Proinde nostrum etiam laborem, hoc eodem spiritu ducti, christianis ad pacem et unitatem anhelantibus offerimus, quae nisi veritati et humilitati innitetur, duratura esse non potest.

Dissensiones et contentiones, quae inter christianos vigent, non ex sola theologia, sed potius ex historia proveniunt semperque novas sumunt vires et vigorem. Rerum historicarum studiosis proinde ius est et obligatio, ut historia melius cognoscatur et rectius explicetur, ut charitati et christanae humilitati via paretur ac tandem aliquando etiam veritas clarius pateat. Huic fini in nostra Ecclesia assequendo iam inde a tribus lustris insudamus.

Dum hodie ipsa natura ecclesiasticae unitatis consideratur, praesens volumen cuiusdam momenti esse censemus, quo documenta praebeantur de ipso cardine Unionis Berestensis seu de Metropolita Kioviensi eo precise tempore, quo fratres a nobis seiuncti acrius contendere ceperunt, saeculo XVIII exeunte. Hac luce collustrati, hoc volumen fidenter offerimus.

Dum finem praesenti editioni imponimus, ecce CCCL vertitur anniversaria dies, ex quo praesentis Collectionis documentorum auctores, Basilianorum nempe sodales recolent memoriam primi Capituli Generalis in Metropolia Kioviensi celebrati, quo in unum coaluit corpus et opus, mens, voluntas, et opera plurium. Ab anno nempe 1617 incipit historia Ordinis Basiliani in Metropolia Kioviensi, ex quo « Josephus Velamin, pluribus eiusdem Ordinis monasteriis, quae antea segregata degebant, ad Unionem redactis, unam ex eis Monachorum Congregationem efformavit, quam de nomine supradicti monasterii Congregationem SS. Trinitatis Unitorum nuncupavit » (Benedictus XIV, Inter plures, an. 1744), unde horum monachorum « Or-

dine vigente, Ruthenorum vigit Ecclesia » (Leo XIII, Singulare praesidium, an. 1882).

Hac eadem die XX Julii anno 1617, gratia Spiritus Sancti invocata, duce Josepho Velamin Rutskyj, Metropolita Kioviensi totiusque Russiae, prae-eunte Sancto Josaphat, Archimandrita Vilnensi, omnes unanimiter statuerunt in unum Corpus monasticum unamque Congregationem congregari, unde vigere cepit Ordo vigitque Ecclesia Unita.

Hanc diem in memoriam revocando, tercentesimaquingagesima vice filii opus patrum confirmant et affirmant.

Romae, die 20 mensis Iulii 1967

In festo S. Eliae prophetae.

« ANALECTORUM OSBM » REDACTIO

INTRODUCTIO

Inde ab anno 1752 activitas Feliciani Philippi Wolodkovycz limites eparchie Chelmensis, sibi inde ab anno 1731 commissae, transgressa est, ut toti Ecclesiae Unitae bono et emolumento sit, auxilia praebendo senio laboribusque fracto Metropolitanae Floriano Hrebnyckij (1748-1762).

A die 18 Aprilis 1762 Felicianus Wolodkovycz in sede metropolitana Kioiensi succesit, quam usque ad diem 12 Februarii 1778, difficillimis sane temporibus, rexit et gubernavit, cum ipse tum Coadiutorum suorum opera adhibita.

Totam hanc periodum plus quam 25 annorum in unam seriem colligere pro posse statuimus, quam duobus voluminibus expedire necesse est, ob magnam documentorum molem et numerum. Proinde volumen V et VI *Epistolarum Metropolitanarum Kioviensium Catholicorum* Feliciano Wolodkovycz dicavimus.

Volumine primo seu in parte prima inveniuntur documenta a Wolodkovycz, praesertim annis 1752-1772 data. Huic seriei documenta quaedam biographica praemisimus, simul cum brevi biographia.

Secundo volumine seu parte altera epistolarum Feliciani Wolodkovycz omnia alia comprehendere documenta, inde ab anno 1773 usque ad eius obitum, mense Februario 1778, adnexo *Indice nominum et rerum* generali omnium documentorum, quae duobus voluminibus constant.

Dum una ex parte opportunum non fuit visum ut omnia documenta uno eodemque libro comprehendatur, ex altera vero utilius videbatur, ut saltem uno eodemque *Indice* omnia connexa et adnexa Lectori prostarent.

Quod modum methodumque editionis spectat, nihil videtur necessarium, praeter ea quae iam in aliis voluminibus ad abundantiam diximus.

Quoad adnotationes utile est ut notemus, nos tantummodo res omnino necessarias adnotasse; de aliis quamplurimis videant rerum historicarum studiosi viri.

De ipsis vero documentis dicendum manent sequentia: a) agitur hic tantummodo de documentis Romae asservatis, aliis omnibus exclusis; b) ex variis documentis quae res Metropoliae et Metropolitanae Kioiensis tunc temporis spectant, solum ea selegimus, quae ab ipso Metropolita exarata vel subscripta inventa sunt, aliis ad alia volumina remissis, praesertim varias supplicationes nomine eius Sedi Apostolicae datas (cfr. *Supplicationes Ecclesiae Unitae*, vol. III et IV); c) documenta Wolodkoviciana propter characterem negotiorum in variis Archivis dispersa sunt quaerenda, nec facile haberi possunt: si quae nostram attentionem aufugerunt, suo

tempore in *Epistolis Episcoporum* quaerenda sunt; d) cum de prima editione harum epistolarum agitur, nobis omnino conscii sumus, nos in nostra Collectione omnino perfecti esse non valemus nec possumus.

His praemissis nunc ad ipsa documenta Lectorem remittimus, nihil sibi, multum Ecclesiae, et omnia veritati quaerendo.

Deo - gloria, hominibus - bonum, editoribus - laus, nobis vero - in tranquillitate conscientiae pax, ex opere perfecto et volutante Dei adimpleta.



FELICIANUS PHILIPPUS WOŁODKOVYCZ
(1762-1778)

EPISTOLAE FELICIANI PHILIPPI WOŁODKOVYCZ
METROPOLITAE KIOVIENSIS

1762-1778

PARS SECUNDA

**EPISTOLAE FELICIANI PHILIPPI WOŁODKOVYCZ
METROPOLITAE KIOVIENSIS
1762-1778**

192.

Radomyskia, 3. VII. 1773.

De ulterioribus difficultatibus in eliberandis presbyteris incarceratis Berdyczoviae ex parte Gubernii rossiaci, de rebus actis Coadiutoris, nec non de Archiepiscopo Polocensi et de sacerdote Glinski eiusque causa.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 186.

Ill.me, Excellentissime et Rev.me Domine,
Patrone Colendissime.²⁴⁶

Iam eram paratus aggrediendi Berdyczoviam pro solamine liberandorum Presbyterorum meorum,²⁴⁷ firma spe nixus expeditionem meam ad Dominum de Szyrkow, Generalem Russicum, cum Reversalibus, quas traductas in latinum antea acta posta Excellentiae Vestrae transmissi, non destituendam esse fine suo, et unum quod mihi suadebat aliquantum sistere pedem, erat expectatio reditus Aulici mei, responsum laturi; quando, proh dolor! ante hesternam diem venit ad me Officialis Russicus et attulit epistolam cum annexis praememoratis reversalibus meis, atramento abductis, et in locum eorum substituto novo projecto ad subscribendum, quae praesentibus traducta latine adjungo. Proponitur enim et quidem, ut reliqua praetermittam, articulo primo, ut non sit redeundum Presbyteris meis Unitis ad Benefica per Disunitos occupata? Conditio impossibilis, conditio, quae cum votis solemnibus circa ascensum meum ad dignitatem ecclesiasticam, respectu non modo non amovendorum verum pro posse recuperandorum bonorum Ecclesiae, emissis nullomodo stare potest. Subjun-

²⁴⁶ Nuntius Apostolicus Varasaviensis - Josephus Garampi (1772-1775).

²⁴⁷ Sacerdotes, ut plurimum parochi uniti, captivati anno 1773 post adnexionem partium Regni Poloniae ad dominium Moscoviae, instigante clero non unito, opera exercitus moscovitici, praesertim in carceribus Berdyczoviensibus, in Ucraina. Tum Nuntius Apostolicus tum Metropolita instabant pro eorum liberatione, qui ultimus plura dedit reversalia supremo duci exercitus moscovitici in hac regione. Cfr. *Indicem nominum et rerum*: Szyrkov.

gitur articulo 4to et imponitur mihi obligatio sistendorum ad requisitionem eorundem Presbyterorum, seu extradendorum in manus exercitus exotici, quod me non decet aequae difficile est ac prius. Et haec sunt quibus matura deliberatione perpensis, abstinere a subscribendis ejusmodi reversalibus, rescibere praedicto Generali me expectaturum in hoc negotio altiore resolutionem, recurrere praesentibus ad consilium Excellentiae Vestrae tum dexteritatem, quatenus ista exponantur Serenissimo Regi, Reginae Apostolicae, Ministerio et quibus competeret censui.

Relatum mihi est in Palatinatu Braclaviensi, post abscessum recentem Ill.mi Coadjutoris mei, apostatas vim suam extendisse ad plures Ecclesias necdum per illos hucusque visitatas (f. 186v) in Decanatu nempe Krasnianensi, ubi aperte plebs fomentatur in certaue redditur non solum ad praesens, sed et in posterum de futura sibi protectione Russica.

Ego ibi hucusque morari debeo, donec incarcerati Presbyteri liberabuntur, ne forte, post Deum in me spem omnem collocantes, postquam resciverint de habitu meo inde, cadant animis, proponendaque sibi a Disunitis amplectantur et subscribant; adeoque in termino condescendere ipse Vladimiriā non potero, nisi per Plenipotentem, ubi, rogo, injunctum habeant ab Excellentia Vestra DD. Compromissarii non rejiciendas rationes dilationis, si quas allegandas necessitas urgens suaserit.

Ill.mus Archiepiscopus Polocensis,²⁴⁸ repetitis vicibus a me rogatus, descriptionem status Unitorum in avulsis Regni partibus sub ditione Moschovitica existentium mihi hucusque non transmisit.

Pro suscepta suscipiendaque cura favore R. Glinski Excellentiae Vestrae summas refero gratias, ipseque liberandus, qui insons patitur, nunquam praetermittam pias preces fundere ad Deum pro incolumitate singularissimi Benefactoris sui.

Maneo cum profundissimo cultu

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, Patroni mei singularissimi,
Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae
Radomysliae, 3 Iulii 1773.

Cum accuratiori descriptione originalibusque documentis omnium ibi gestorum specialem his diebus expediam Emissarium ad Excellentiam Vestram Varsaviam.

²⁴⁸ Jason Junosza Smogorzewskyj, Archiepiscopus Polocensis et dein Metropolita Kioviensis (1780-1788). Cfr. eius *Epistolae*, Romae 1965 in nostra collectione, ubi et brevis invenitur biographia.

193.

Radomyslia, 3. VII. 1773.

Episcopo Kioviensi latino de eliberandis presbyteris incarceratis Berdyczoviae, ut auctoritatem suam interponat pro hoc negotio.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 91, fol. 187.

Excerptum Literarum Illustrissimi Metropolitae Kijoviensis ad Illustrissimum Episcopum Kijoviensem²⁴⁹ transmissarum, die 3 Iulii 1773 anno.

Conatus mei enixissimi circa eliberationem de captivitate Berdiczoviensi Parochorum meorum, dubium sui eventum hucusque promittebant, animumque meum inter spem et metum ancipiti lance librabant, cum ecce transmissa nuper formula Reversationis a Domino De Szyrkow, Generali Exercitus Roxolani, a me subscribenda, totam spem meam qualem talem ad incitias redegit. Videbit sua Excellentia ex sequenti hujus Reversationis copia annexa, num poterim sine manifesta laesione conscientiae meae, atque violatione iuramenti, quo vi vocationis meae obstrictus maneo, hunc subscribere Reversum, cujus contenta sequuntur. Ego Felicianus Wolodkowicz Archiepiscopus Metropolita totius Russiae... asseculo me haec puncta intaminata servaturum: *Imo*: Omnes sacerdotes meos ex captivitate dimissos pacifice, quieteque vivere, ac nunquam ad suas Ecclesias, nunc a disunitis possessas redire, aut eos in sua jurisdictione turbare asseculo; *2do*: Quod sicut nunquam suos Parochianos ad rebellionem excitabant, ita et nunc eos quietos manere asseculo; *3tio*: Quod nemini offensioni erunt, neminemque in post inquietabunt, quod si aliquid tale contra hanc compositionem a quocunque Parochorum in earum factitatum convictum fuerit, pro tunc exemplarem satisfactionem facere appromitto; *4to*: Quod si insuper ex his detentis Parochis meis Unitis, Exercitus Rossiacus aliquem sibi praetendere et in suas partes pertrahere vellet, tales sine omni tergiversatione et mora sistere, et extradere praesenti hac Reversatione, quam manu (f. 187v) propria subscribo, et sigillo proprio communitio, me obligo ac asseculo. Datum Radomysliae.

Hoc itaque negotium, cum sit ejusdem vicissitudinis, ac Suae Excellentiae, ratione situs Dioecesis in Kijoviensi Palatinatu, dignabitur Vestra Excellentia pro sua summa in tractandis prudentia, pietate, ac zelo omnem adinvenire modum et conatum ad succurrendum tam deplorabili statui hujus Dioecesis, eliberandumque tandem aliquando ab his

²⁴⁹ Ritus latini; Josephus Andreas Zaluski (1758-1774).

aerumnis et vinculis Clerum meum oppressum. Maneoque insuper cum debita reverentia, etc.

P. S. Manere hac in Regione hucusque cogor, quoadusque Parochi mei captivitate non dimittentur, prae anxietate ne forsitan miserculi cadant animis, et desperata mente cadant in fide per dissolutionem Sacrosanctae Unionis.

194.

Radomyslia, 4. VII. 1773.

Iterum de liberatione sacerdotum incarceratorum et de persecutionibus Unitorum in Ucraina et de comparitione coram iudicio Arbitrali Episcoporum designatorum ad componendam causam cum Coadiutoribus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 190.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Singularissime.

Post ultimam, quam ad Ill.mam, Rev.mam Excellentiam Vestram isthinc direxeram epistolam, expedio nunc cum praesenti Fratis mei Filium, tum ut Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae humillima mea obsequia, et servitia praesentet, quam etiam et cum eadem specificè communicet singula, quae hic adusque egi adnitendo, et eorum qui sunt incarcerati, unitorum Praesbyterorum liberationem, et reliquarum, quae adhuc restant penes nos ecclesiarum, ab illuvie schismatica preservationem; jam suppono communicatam esse per meum agentem informationem de ultimo responso, ac resolutione Generalis Szyrkow, quam dedit Ill.mo Regenti Regni, instanti pro ecclesiis, quae in bonis ipsius sunt Unitorum, ut hic Generalis palam declarare non omisit, obstare haud posse Ordinationibus supremis, quarum Executores censuit perversores istos, et invasores submissos a Schismatico Perejeslaviensi;²⁵⁰ et in effectu difficile est comprehendere charta, quid isti disseminatores zizaniae hic perpetrant in dies, imo quid non agunt pro totali subversione totius istius Tractus, nobis reclamantibus licet et renitentibus, sed incassum; opere pretium itaque duxi, cum totali tamen relatione ad Ill.mam Excellentiam Vestram

²⁵⁰ Ut videtur, agitur de Melchisedek Znaczko-Javorskyj (1716-1809), hegumeno monasterii Motronensis in Ucraina; fautor s.d. «*kolijivššyny*» (1767-69); post obitum Gervasii Lincevskyj (1769), episcopi non uniti Perejaslaviensis, dux oppositionis et promotor reductionis «*unitorum*» ad orthodoxiam; fuit Superior in monasteriis Kioviensi, Lubnensi et Hluchiviensi. Tempore suae commorationis in Perelaslav actioni anti-catholicae suum nomen dedit.

renovare preces apud Serenissimum Regem, tum quoque Plenarios Status Serenissimae Reipublicae pro instantia ad Aulam Petropoliensem mature facienda. Propterea eidem (f. 190v) meo Agnato injunxi (si id Excellentiae Vestrae Ill.mae et Rev.mae videbitur) porrigere memoriale Serenissimo Regi, et separatam Plenipotenti Delegationi, ut tota Serenissima Reipublica cladem tantam Fidei illatam resarcire non praetermittat.

Pro termino ex citatione coram iudicio Illustrissimorum Arbitrum incidenti non nisi per Plenipotentem comparere potero, nihilominus supplicare Ill.mae Excellentiae Vestrae non omitto, justum tempus mihi praefigere, quo caepta jam dudum Regestra paretensionum per meos Commissarios conficere valuero, quod reliquum remitto me in toto ad Ill.mam Rev.mam Excellentiam Vestram cum miseris quoque incarceratis, quorum eliberationis spes jam deperiit, nisi desuper aliquid relevans procurabitur, et cum demississimo respectu, ac veneratione maneo.

Illustrissimae, Rev.mae Excellentiae Vestrae humillimus servus
F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae
Anno 1773, die 4 Iulii. In Radomysl.

195.

Radomyslia, 13. VII. 1773.

Alia assecuratio data Gubernio militari rossiaco ad eliberandos presbyteros incarceratos Berdyczoviae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 33, fol. 221.

Reversale Ill.mi Metropolitanus, datum D.no Szyrkow.

Ego Felicianus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae referendo me ad desideria Ill.mi Mag.ci D.ni Szyrkow, Generalis Majoris Exercitus Russici, reversale meum pro eliberandis ex carceribus Presbyteris meis in Fortalitie Berdyczoviensi jam prope annum in aresto comendae Russiae existentibus, die 16 Maii 1773 Berdyczoviae datum, adimplendo per infra scripta puncta: *1mo*: Presbyteri in aresto nunc existentes dimissi, quiete et pacifice secundum vocationem suam permanebunt; *2do*: Expectabunt justitiam per vim ereptorum beneficiorum suorum; *3tio*: Uti nunquam concitabant contra quemlibet subditos, sic et nunc non concitabunt; *4to*: Quod ex semet ipsis non praebebunt ad tumultus occasionem et quis ex iis delatus fuerit ad me, justam satisfactionem facere appromitto, persuasum quod et ipsis satisfactio in injuriis patris et justitia administrabitur. Quod ad supplementum reversale pro majore virtute manu propria subscribo.

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolita
totius Russiae (L.S.)

196.

Radomyslia, 16. VII. 1773.

De executione concordiae cum Coadiutoribus explicationes Metropolitanae, de impossibilitate comparendi coram Episcopis Compromissariis, de parochis qui in schisma subscripserunt, et de liberatione incarceratorum Berdyczoviensium.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 199-200.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Humanissimae literae Suae Excell.mae, Ill.mae Dominationis de 24 Iunii et 8va praesentis datae summa me affecerunt consolatione ex una parte, quod nempe vehementer omni sua autoritate ac studio unice quaerat aedificationem. Deum enim testor, quod egomet id ipsum omni solitudine et cura quantum possum tantum perficio, summasque Suae Excell.mae Ill.mae Dominationi refero gratias pro hujusmodi ejus studiis. Alia vero ex parte molestissimum mihi fuit illud: quod videlicet Sua Excell.ma, Ill.ma Dominatio moleste viderit appropinquare terminum peremptorium quo Concordia executioni mandari deberet, et ego ad ejus exitum meas rationes nedum disposuerim, atque a cujus Concordiae executione, stantibus suis rationibus, supremisque SS.mi Domini Nostri ac Sacrae Congregationis mandatis recedere Sua Excell.ma, Ill.ma Dominatio non possit? Enim vero si hic spectare debeo Autoritatem, nihil negare possum, cum sciam, quod arma tenenti, omnis dat, justa etiam negat, sed si specto ipsas rationes, tunc in his attendo quae mihi petere licet et quae tuto negare possum. Hinc pretio omnis benevolentiae Suae Excell.mae, Ill.mae Dominationis centies iam supplicavi non ut recedat ab executione Concordiae, sed eandem executionem ex justissimis rationibus differat, atque Compromissariis Episcopis differre insinuet. Non sane sine rationibus haec egi, perpenderam etenim in ipsa Concordia tam terminum qualiscunque iste sit, tam rationum mearum dispositionem, quam etiam ipsam executionem SS.mi Domini Nostri ac Sacrae Congregationis mandata, pro quibus ipsemet scripsi et supplicavi mediante Suae Excell.mae, Ill.mae Dominationis opera, unde nullomodo suspicandi (f. 199v) me potest, quasi ego ideo Concordiam tacerem, ideo pro ejusdem beneplacito scriberem, et ideo terminum peremptorium quoad satisfactionem summarum praefixum acceptarem, ut ante omnia satisfiat voluntati Coadjuutorum, sed ut satisfiat meis certis et justissimis praetensionibus, alias aperte defraudatum me esse censerem, est hoc et quod pertinet ad substan-

tiam compositionis seu Concordiae, contra quam nullum terminum peremptorium justum video tanquam concomitanter tantum ad concordiam se habentem, et ex circumstantiis labentem. Itaque praemissa Suae Excell. mae, Ill. mae Dominationi omni ea qua par est reverentia ac salva ejusdem auctoritate, unico tantum modo rationum motivo ductus, fateor aperte me non posse comparere coram Episcopis Compromissaris, quousque non habuero paratum integrum opus mearum rationum quoad satisfactionem summarum respective ad utramque Diocesim, quod infallibiliter habebō post decem ab hinc septimanas; et tunc tandem si faciles erunt ad satisfactionem Coadjutores, mea ex parte imponetur modus omnibus controversis, alias si faciles ex tunc non essent, et concordiam ipsi infringerent, nec ego in culpa manebo, quod ipsis nihil permittam quo supervixero. Nec ideo velit Vestra Excell. ma, Ill. ma Dominatio dubitare, quin ego cogitem (Deus avertat) fraudare se expectatione; vidit etenim ipse Ill. mus Leopoliensis²⁵¹ continuo laborantes hic circa opus praetensionum conficiendum Commissarios meos, quod quia tam cito perficere non possunt, non possum esse in culpa, per consequens donec finierint, non habebō quid producā. Unica adhuc hic remanet ratio, quae spectat ad facilius populis miseris et afflictis in spirituali eorum indigentia subveniendum. Verum, proh dolor, ego sum Pastor, ego hodie ponerem animam pro ovibus meis, quomodo igitur impedirem Coadjutori ejus meritorios labores et actus? si consideravit Ill. mus Coadjutor inutilem futuram delegationem meam pro visitationibus Ecclesiarum intra Decanatus Kijovienses ad confinia sive limites situatarum, quare ergo non visitavit in Palatinatu Bracaviensi vigore potestatis sibi a Vestra Excell. ma, Ill. ma Dominatione (f. 200) datae, quis illi et quomodo hos actus impedivit dicat ipse? Denique si facilius ille regere poterit quam ego, et utilius mederi afflictis, rogo, quatenus dignetur mihi pro amore Christi Domini subministrare sua certa media, quibus permoveret ante omnia animum meum ad sibi satisfaciendum; dubia vero non accepto, nam dubia pro certis solent timere magnates, et ego, atque ex hoc motivo tametsi Vestra Excell. ma, Ill. ma Dominatio declarat omnibus juris remediis praesto esse ad resarciendas meas praetensiones, tamen ego atque iterum supplico, quatenus simul finiatur totum interesse hinc inde.

Verum quidem hoc est, quod plures Parochi adducti ad subscribenda vacua folia, verum non ignorantes quis usus sit eorundem foliorum, cum

²⁵¹ Leo Ludovicus Szeptycky, Episcopus Leopoliensis (ab an. 1748), dein Coadiutor Metropoliæ Kioviensis (ab an. 1762) et demum Metropolita (1778-79). Cfr. eius litteras editas Romae 1970, in nostra collectione, vol. VII.

in literis etiam edictalibus, vocatoriis e variis decanatibus Cleri expressus sit finis hujusmodi subscriptionum, quales literas transmisi iam pridem Vestrae Ill.mae, Excell.mae Dominationi, hoc est pro formanda in terminis quam brevissimis manifestatione a quolibet Decanatu, contra actus violentos Disunitorum, et coactionem Decanatum semper Unitorum ad recessum a Sancta Unione, ad hoc opus opportuni etiam videbantur mihi e qualibet Parochia saltem aliquod homines laici, sed quia unanimem ad id sensum et operationem in Illustrissimo Coadjutore non apprehendi, ideo hujusmodi folia pro inexistentibus reputavi, aut quid sim hoc in puncto factururus, solius Vestrae Excell.mae, Ill.mae Dominationis consilium expeto.

Commendationes Vestrae Excellentissimae, Ill.mae Dominationis pro Presbyteris ad Magnates et Dominos horum Palatinatum scriptas recepi, quoniam vero uti iam significavi aliter evenit cum iisdem Presbyteris, cum in strictioribus adhuc carceribus detineantur, conservabo eas penes me, donec dimissionem tandem aliquando, Deo adjuvante, procurabo, pro qua adhibere omnes posibles modos itinere non omitam, atque ad (f. 200v) ejus effectum curro hodie statim Berdiczoviam, et quod ibidem efficiam, ex tunc certiolem Vestram Excell.mae, Ill.mae Dominationem reddam. Ex quo vero magnates et Domini hujus Kijoviensis Palatinatus his temporibus mittere ad Ill.mum Rumiansow Emissarios suos eodem in negotio Presbyterorum, me fortiter instante, constituerunt, dignetur Vestra Excell.ma, Ill.ma Dominatio suis literis, ut quantocitius intentum exequantur suum iisdem aliquas rationes et pia suppeditare consilia.

Summas ago gratias Vestrae Excell.mae, Ill.mae Dominationi pro omnibus ejus beneficiis et quibus publicetur operamque ad Monasterium pro Monialibus Ordinis S. B. M., ut illud a Sancta Sede Apostolica approbetur. Et haec dum ad literas Vestrae Excell.mae, Ill.mae Dominationis rescribo, precesque humillimas meas expono, testor insimul debitum meum sibi obsequium atque cum profundissimo cultu et reverentia maneo

Excellentissimae, Ill.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae, Benefactoris meis singularissimi

... F. WOŁODKOWICZ, Archiep.pus Metr.t.R.

Die 16 Iulii 1773, Radomysliae.

197.

Radomyslia, 17. VII. 1773.

De impossibilitate ad praesens perficiendi concordiam, de persecutione Unitorum in Ucraina, de litteris mittendis Polociam.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 91, fol. 194.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine,
Patrone Colendissime.²⁵²

Si non applicaverim primario animum ad obeunda ea, quibus postponenda sunt omnia, nempe respicientia curam salutis Christi fidelium mihi concreditorum, et juvamen pro justitia patientium, ista quae inter me et DD. Coadjutores meos intercedunt, juxta consilium Excellentiae Vestrae, facili negotio et non tam sero suum effectum sortirentur. Verum cum ad hunc finem et Excellentia Vestra praesentiam meam in futuro compromisso, uti ipsa reperit, omnino necessariam esse duxerit et ego ex mea parte ob varios respectus eidem conclusioni deferendum esse censuerim, ex altera vero parte quoniam tum propter allegatam in praecedenti epistola rationem, tum propter sequentia requiratur ibi Radomisliae indispensabiliter commoratio mea, favebit me habere sufficientissime excusatum, si ad praemissarum effectuationem aliqua vel invito me irrepserit mora. Nam, quam alias exposui, ratio non excogitata nititur suspicione, verum certa delatione evincenti, post fugam aliquorum ex incarceratis in reliquis observatam fuisse consternationem notabilem animorum, quos adversarii propositionibus suis quotquot horis infingere non praetermittunt. Uti et quae mox adferuntur: quod debeam per epistolas Commissarios, Oeconomos, Dispositores, Mandatarios, variosque Officiales saeculares adhortari, rogare, quatenus postpositis oblationibus Disunitorum, sine obtinendae praesentationis, sibi factis et faciendis, non sic ut in plurimis locis avaritia ducti recentissime ob turpe lucrum quidam, permiserunt Disunitis occupare Ecclesias, tueantur circa manutationem Orthodoxorum Beneficia, opponant se possibilibus mediis contra invasores, repellant turbam excitantes, obviant commotionibus et denegandae debitae subordinationi plebis, saeculares in vestitu spirituali vagantes ad praesens spiritualiaque exercentes coerceant, caeteraque pro prudentia ad hujusmodi (f. 194v) propositum faventes salutares adhibeant modos. Accedit Commissio brevi, uti spero, sudsecurtura Bialocerkieviae, aut ubi videbitur expedienda pro cognitione injuriarum per Disunitos meo Clero illatarum, cui ego cum deputandis ex Clero, ne forsam aliquot irrepat praejudicium, in persona adesse debeo.

De exitu negotiationis meae cum Generalibus Russiae, intuitu Presbyterorum in carcere detentorum, legit Excellentia Vestra ex immediate praeteritis literis meis, quae forsam post factam jam ad me praesentem expeditionem pervenerunt.

²⁵² Nuntius Apostolicus Varsaviensis Josephus Garampi, cum quo Metropolita saepissime tractabat omnia negotia sua (1772-1775).

Cum uberiori expositione omnium ibi factorum adhuc praeterita septimana misi Varsaviam specialem Emissarium,²⁵³ injunctum sibi habentem porrigendi in scriptis Excellentiae Vestrae, nec non Serenissimo Regi, Ministerio et Ordinibus Status pro Comitibus congregatis super eodem objecto.

Ad Ill.mum Archiepiscopum Polocensem adhuc brevi mittam literas, cum descriptione omnium ibi gestorum, rogando quatenus exquirat modum exponendorum eorundem Curiae Petropolitanae, unde, si non in toto fieri potest, saltem lucrabor inhibitionem horum abusuum, qui praeter suprema mandata a Disunitis ibi committuntur.

Interea cum omni qua par est veneratione me subscribo. Radomysliae die 17 Iulii 1773.

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris mei singularissimi addictissimus et humillimus servus

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae.

fol. 194: Excell.mo Domino Nuncio Apostolico.

198.

Radomyslia, 18. VII. 1773.

Episcopo Kioviensi latino de persecutione Unitorum in Ucraina, de intercessione in materia perficiendae concordiae cum Coadiutoribus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 195.

Excerptum Literarum Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Włodkowicz, Archiepiscopi Kijoviensis ac Metropolitae totius Russiae, ad Illustrissimum Episcopum Kijoviensem, ex suis Bonis Radomysl transmissarum, die decima octava mensis Iulii, 1773 anno. Ab eoque Illustrissimo et Excellentissimo Domino Nuntio Apostolico communicari mandatum.

Primo. Bona mea in Palatinatibus Kijoviensi et Czerniechoviensi sita, tam immanibus Exercitus Rossiaci atque Polonici aggravantur exactionibus, ut practicare similia nec contigit ab aevo, nec forsan contiget posteritati serae. Idem ipse status, eademque hodie conditio Bonorum Vestrae Excellentiae, adeo, ut in una videmur periclitari navi. Haec tamen luctuosa calamitas, cum sit publica adeoque communis, a qua excipitur nemo, non tam me angit, quam deplorandus ille status Dioecesis meae orbatae suis Pastoribus. Quorum alii perseverantes in Fide, ac in

²⁵³ Emissarius hic erat P. Gregorius Mokrzyckyj, ut videtur, vel P. Hucewicz.

indissolubili Unione cum Sancta Romana Catholica Ecclesia, hacce unica de causa in captivitatem Moschoviticam abducti, ac in carceres trusi, alii metu ad me profugi, alii denique suis locis et Ecclesiis propulsi, sustentantur a me modulo tenuitatis nostri proventus. Quorum omnium loca nunc occupant disuniti Parochi, uti prae ceteris experta sunt idem omnia bona Sua Excellentiae, e quibus Episcopus Perejaslaviensis omnes Parochos meos expulit, multos fugavit, reliquos captivare in Berdiczow fecit, eorumque Ecclesias Presbyteris a se ordinatis disunitis contulit.

Dignetur itaque Vestra Excellentia, exoro enixissime, suam nunc interponere auctoritatem, tamque periclitanti Sanctae Romanae Ecclesiae in suis membris pro sua pietate ac zelo succurrere; commendo Illustrissimis Delegatis ad tractanda Publica Negotia lectis, quatenus pro liberatione meorum Sacerdotum a carceribus Rossiacis suam interponant mediationem.

Pro pleniori informatione, liceat hic annectere literas cujusdam sacerdotis, Moysis vocitati, e quibus Vestra Excellentia (f. 195v) intelliget, quomodo Episcopus Perejaslaviensis in contemptum Sanctae Fidei, et Unionis Catholicae eundem Moysen Presbyterum degradaverit, et iterum in Disunitum creaverit, ac tandem, Decanum Foraneum constituerit, et alia multa, quae calamus scribere horret, perfecit, quot Blasfemiae, Excommunicationes, dirae cum sonitu campanarum in Sanctam Romano-Catholicam Ecclesiam explosae, tot ferme injuriosae actiones Domini praefati Episcopi in hisce literis annotantur.

Alterum. Quod Vestram Excellentiam devotissime exorare vellem, est illud *Beneplacitum* Apostolicum, super Articulos Compositionis inter me ab una, et Illustrissimos Coadjutores meos parte ab altera factae emanatum, quod me prius exequi faciat Illustrissimus ac Excellentissimus Dominus Nuntius Apostolicus quoadusque ab hisce Illustrissimis Coadjutoribus in meis praetensionibus justissimis, et damnis tempore Administrationis quietatus non ero, Suae Excellentiae salutaris pro me ad eundem Illustrissimum ac Excellentissimum Dominum Nuntium facta intercessio, unice poterit meam alleviare conditionem. Quod si fortassis Illustrissimus et Excellentissimus Dominus Nuntius exequi demandaverit, non modo omnia mea, sed etiam illa ad vota Sanctae Sedis pro educando Clero summa a me consecrata, perque meos Coadjutores in suis intentis frustata incassa manebit. Reliquum quod mihi supererit, sunt illae dilationes infinitae, et strepitus juris.

Dignetur itaque Vestra Excellentia Illustrissimo Domino suam ob meas canas, senilemque aetatem efficacissimam interponere intercessionem, ut intenta executione acquiescat.

Insuper maneo, etc.

199.

*Berdyczovia, 23. VII. 1773.**Petit consilium de committenda iurisdictione in partibus Ucrainae.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 198.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
 Patrone Colendissime.

Positus sum inter malleum et incudem adeo, ut quo me vertam, nescio. Ex una parte urget me R. Prymowicz²⁵⁴ figendam sibi sedem fundandae et exercendae iurisdictionis Radomyслиae ambiens, ex altera parte terrent minae Disunitorum, in aliquibus mempe occupatione Ecclesiarum in bonis meis Didoroszczyzna dictis sitarum recenter effectuatuae, etiam Radomyслиam intendentium, auget angustias repetitio a me per exercitum Russiae fugitivi Presbyteri incarcerati Berdyczovia, insuper brevis praefixus terminus pro compromisso adimplet incommoda. His omnibus uno eodemque tempore quomodo consulere queam ad consilium Excellentiae Vestrae confugio. Nam si primum elegero? me praesente exercitium alienae iurisdictionis summam faciet consternationem in omnibus, vacillabit Clerus, intuens auctoritatem unius Officialis praeferrere Archiepiscopali Metropolitananae, confortabit audaciam Disunitorum sine dubio plus Archiepiscopum quam simplicem sacerdotem respectantium, miseros incarceratos mihi diffidere faciet. Si postremum nempe fine praexpresso inde abscessum? praeter praenumerata pullulabunt sequentia: incarcerati, qui me instante singuli habent sibi permissum visitandum domorum sub custodia pro aliquot diebus, faciendae ergo (f. 198v) dispositionis in re oeconomica, consolandaeque familiae suae domesticac, orbati cautore et provitore suo durius tractabuntur, et forte, ne accidat, ipse ego qui vadimonium feci detinebor.

Consulat itaque Excellentia Vestra religioni, consulat miseris incarceratis, consulat publicae tranquillitati, consulat denique indemnitati hujus, qui cum omni qua par est veneratione manet

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris mei singularissimi Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae
 Berdyczoviae, die 23 Iulii 1773.

fol. 198: Excell.mo et Rev.mo Domino Nuntio Apostolico.

²⁵⁴ Vicarius Generalis Metropolitanae in Ucraina tempore difficultatum cum non-Unitis.

200.

*Volodimiriae, 24. VII. 1773.**In materia concordiae amplissima expositio difficultatum et non observantiae ex parte Coadiutorum, de Decreto Compromissoriali etc.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 329-330.Illustrissime, Excellentissime Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.²⁵⁵

In spe melioris sortis negotio Religionis nostrae Orthodoxae et Presbyteris incarceratis in Ukraina, per literas Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae multoties repetitas collocatus, et per easdem ad terminandam in iudicio Compromissoriali super praetensionibus meis ad Ill.mos Coadiutores habitis causam motam et agitatum avocatus, ipsemet in persona festinantissime Vladimiriā pro termino mox elapso pergebam, ubi cum post occasum solis advenerim, publicatum iam per unum Compromissarium, videlicet Ill.mum Dominum Episcopum Chelmensem, decretum inveni, quot cathogorias tot in se continens gravamina. Ut satisfiat menti Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, quam declaravit in confirmatione Concordiae inter nos initae (verbis genuinis epistolae ad me ab Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma de die 8 aprilis anno currente datae utor) ne jam plus in incerto res sint necessarium esse dixit, Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma iudicium seu votum DD. Compromissariorum expectare super iis, quae ad normam articuli quarti et quinti Concordiae, tam in puncto Administrationis Bonorum temporalium quam ratione injuriarum et damnorum ex inde pulullantium contra suos Coadiutores opponere et per legitimas probationes deducere possem. In sequelam aequitatis et alte dictorum Concordiae articulorum, atque satisfactionem istius declarationis Sacrae Congregationis Propagandae Fidei eo motivo ac fine electi extiterunt a Nobis in iudices Compromissarios Illustrissimi DD. Luceoriensis et Chelmenis Episcopi cum prorogatione in eosdem iurisdictionis ad cognoscendas, definiendas aut componendas supra memoratas praetensiones, super quibus principaliter inter partes fuit conventum et remedia, quae sunt basis et fundamentum totius processus, in ea compositione concepta atque ex Tribunali Apostolico ad instantiam ipsiusmet partis adversae emanata fuere. Denique ne ab huiusmodi semita et ordine iudicium Compromissoriale deflectat, ultra alias quas eidem ab Excellentia Vestra Ill.ma et Rev.ma patefactas esse suppono instructiones clara et in motivis

²⁵⁵ Nuntius Apostolicus - Josephus Garampi (1772-1775).

supra adductis fundata in instrumento die 22 Iulii anno currenti ex Cancellaria Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae emanato, praescripta fuit procedendi regula, videlicet, non prius nisi postquam praedicta omnia quae in articulo quarto et quinto Concordiae continentur composita vel iudicata per ipsos extiterint. Ad hoc instrumentum et praescriptam in eo regulam quamvis et ipsamet pars adversa in suis instantiis (ut patet ex actis) expresse referebat, iudicium nihilominus Compromissoriale, posthabitis supra allatis memoratis, immutato substantiali ordine processus ac instrumenti delegationis sub praetextu palliatae motivo spirituali rationis ad traditionem sex villarum Mensae Episcopalis Vladimiriensis Ill.mo Coadjutori Vladimiriensi et literarum Vicariatus promulgationem per saltum processit, supra memoratas villas sex acsi annum proventum in summa dumtaxat 10242 Floren., Plonical. importarent arbitrarie et contra inventaria in fundo educta ad dimidium fere diminuta eorum moderna impotentia liquidavit. Praeter alte dictam motivi nuncupati spiritualis permoventiam alteram adducit Decretum Compromissoriale, quod sufficienter suo iudicio constat, Ill.mum Brestensem necessario vivendi modo (f. 329v) orbatum esse. Dato non concesso quod ita se res haberet, an ego sum in causa huius indigentiae, num aliquos proventus ad Ill.mum Brestensem iure spectantes interceperim? an non potius mecum sic actum fuisse tota attonita cernebat mirabaturque natio, Ill.mis Coadjutoribus, qui tam anteriores quam ex anno 1767 in 68um ex proventibus tabernariis censibus subditorum et aliis pecuniariis bonorum respective Mensae Metropolitanae et Episcopalis Vladimiriensis importantiis summas retentas et remansas ad me tamquam directum Dominum sine ulla controversia spectantes, nec non integram eodem anno 1768 Mensibus Augusto et Septembre in singulis villis seu Curiis crescentiam ex omni genere segetum collectam, etiam nondum suae administrationi, quae subsecuta ex quinta octobris mox dicto 1768 anno, uti patet ex intromissionibus factis et in actis Castrensibus Vladimiriensibus recognitis, subiectam deocuparunt et ex iisdem fructificarunt, qui praeterea toto administrationis tempore, quem admodum ipsimet in suis instantiis profitentur, videlicet Ill.mus Coadjutor Metropoliae 156.337 florenorum polonical., iam vero Ill.mus Coadiutor Vladimiriensis 121.318 participarunt, attamen iudicium Compromissoriale, tot obstantibus supra allegatis rationibus, ex nunc a me non ex ullo debito, sed ex mea benevolentia declaratam illis portionem exsolvendam esse censuit, mihi vero ab extraneo Exercitu ex integro spoliato etsi tam Ill.mus Coadjutor Metropoliae non modo ex receptis a se retensis sed etiam integris Administrationis proventibus nec obulum pro sustentatione mea contribuerit, quam Ill.mus Vladimiriensis ad propositionem tantae summae ducentos duntanat Hungaricales transmiserit, residuitatem stricta

obligatione conscientiam ipsorum onerante debitam, requirenti nullo satisfactionis proviso medio praedictum onus imposuit. Exurge Domine et judica Causam istam! Opponunt equidem Ill.mi Coadjutores Regestra suarum expensarum, non modo summam a se perceptam aequantium, sed etiam notabiliter superantium, sed in illis neque allegant neque probare poterint, ut in meum commodum et sustentationem ultra ea quae supra recognovi expenderent aut in urgentes fundi necessitates converterent. Non negabit Ill.mus Coadjutor Vladimiriensis quod cum fuisset Episcopus Turoviensis²⁵⁶ et Coadjutor Pinscensis, nulla sibi a respectivo Coadjuto subministrata pensione, Episcopalem dignitatem decenter et sufficientissime repraesentabat; postquam vero a me in Coadjutorem Vladimiriensem adoptatus extitit, ilico duas ex Villis cum proventibus ipsarum cessi, et cum ad negotia Hierarchica utebar ejus opera, ultra expensas erogandas insuper subministraveram, adeo ut superfluos se habuisse censebatur provetus, cum Abbatiae Polocensi favore Ill.mi Domini Archiepiscopi Polocensis facillime renuntiaverit; quomodo igitur ad praesens post Administrationem, qua durante notabilem summam participavit, atque continuo non necessarias imo sibi et mihi nocivas expensas procurat et erogat, vera ac reali indigentia praesum se esse asserere poterit. Quod vero attinet alterum altedicti Decreti caput (f. 330), nimirum expectatae a me comportationis Regestrorum, ab adverso insufficienter communicatorum, statim in initio evidens apparet in terminis contradictio; eo enim ipso quod iusta comportationis adinventum est requisitum, per intensas dilationes me iudicii sui decisionem declinasse minime existimari potuit. Praeterea ad comportationem Regestrorum proventuum et expensarum a tempore reintegrationis meae usque ad Concordiam inter nos initam impositam sibi in praedicto Decreto animadvertendo obligationem, quae directe iuri meo ordinario et Decreto Sacrae Congregationis Propagandae Fidei die 10 aprilis 1770 emanato adversatur.

Etenim cui nam de praemissis post reintegrationem meam perceptis proventibus, rationem redere debeant? Non Ill.mis Coadjutoribus, quorum ex motivo irreali acsi absentiae meae intra Regnum Administratio illegitima et nulla fuit atque pro tali per memoratum Decretum Reintegrationis declarata, proindeque tanquam mortua ex post reviviscere unquam potuit; non Ill.mis Iudicibus Compromissariis, quibus mox dictum Sacrae Congregationis Propagandae Fidei observare non autem eidem contraire incumbit. His itaque Decreti Compromissorialis nullitatibus et

²⁵⁶ Antonius Mlodowskyj, Episcopus-Coadiutor Turoviensis, dein Berestensis et ab anno 1764 Coadiutor Volodimiriensis, qua in sede F. Wolodkovycz successit (1778).

gravaminibus expositis, supplico Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae quatenus, consulendo authoritati SS.mi Domini Nostri, quae ad approbationem articuli quarti et quinti Concordiae aequae et aequaliter ac aliorum articulorum extenditur distinctim menti Sacrae Congregationis Propagandae Fidei ac dispositionibus suis, signanter in instrumento superius citato die 22 mensis Iulii anno currenti edito, satisfaciendo tam etiam iuri et aequitati inhaerendo Ill.mos Coadjutores commonere dignetur, quatenus interposita et pendente a praemisso Decreto Compromissoriali appellatione a violentiis abstineant et ulteriorem super gravaminibus in eo contentis decisionem patienter expectent. Ill.mi autem Iudices Compromissarii ulteriora sua acta attentatorum discrimini non exponant.

Ex Ukraina nullas adhuc habeo notitias, quid ibi post abscessum inde meum sit actum; postquam ipsemet certioratus extitero, quod opportunum iudicavero Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae communicare non praetermittam. Et interim maneo cum profundissimo cultu et veneratione.

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae, Patroni mei singularissimi
Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp.)

24-7-1773, Vladimiriæ.

fol. 329: Ill.mo Domino Nuntio Apostolico.

201.

Radomslia, 29. VII. 1773.

Recusat procedi ad traditionem iurisdictionis in partibus Ucrainae personae non bene visae novi Officialis et de novis violentiis imminentibus Unitis in Ucraina.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 206-207.

Ill.me, Excellentissime et Rev.me Domine,
Patrone Colendissime.

Pro duabus epistolis Excellentiae Vestrae die 15 mensis labentis ad me directis, quas post reditum meum Berdiczovia habui honorem recipiendi, veniunt mihi rescribenda: ad consilium satisfaciendi Concordiae initae in puncto cedendae iurisdictionis, condescendendi Kupieczoviam pro compromisso, permittendi facultates delegationis exercendas per Dioeceses Braclaviensem et Kijoviensem Domino Primovicz.

Quoad primum et secundam, refero me ad anteriores meas literas, quas iam pervenisse ad manus Excellentiae Vestrae non dubito.

Quo vero ad tertium, licet quidem pro me expresso praeterita Septi-

mana Berdiczoviae ad hujusmodi negotium facere videantur, subjungo insuper, non quia sit mihi minus accepta praememorata persona, sed quia praesentiam et praevideam eam recusaturam imo impedituram ordinariae auctoritati competentiam, pro officii mei ratione, pro conscientiae indemnitate, pro populi istius salute annuere huic vix valeo; cum praesertim habeam ante oculos novas tempestates imminentes, quibus (f. 206v) removendis vel minima dissensio obstare, ac irreparabiliter nocere posset. Aliqui enim ex Decanis non postremam dexteritatem in rebus agendis habentibus, et nominatim Admodum Rev. Komarnicki Umanensis, Starozynski Brahiloviensis, Golyszycki Moszenensis et Smilanensis venerunt ad me supplicantes pro dispensatione eorum ab Officiis ideo, quod perceperint certam notitiam Disunitos ultra Radomysliam suos delineasse terminum Consistoriumque suum ad Episcopum Perejaslaviensem relativum in Fastow aut Radomysliae fixuros. Quibus ego facillime credo, cum videam salvum conductum a Domino Generali Russiae de Szyrkow pro bonis Brusilowszczyzna dictis Ill.mo Czacki, Pocillatori Regni datum, quo mediante inhibeat huc accessus Rectoribus, Presbyterisque Disunitis sub paenis, effectum suum non sortiri et violatum adpromissum ejusdem Generalis mihi non tam pridem factum de inhihendis iisdem Rectoribus, ne vel unam amplius occuparent Ecclesiam non verificari.

(fol. 207) Ideo ego hodie arripio iter Bialocerkieviam exquisiturus omnium causam a Collonello Russiae, Domino Tarnawski, nec non ad Didowszczyzna propter obviandum impetitionibus praeterita septimana per me expositis.

Reliquum supradictarum epistolarum Excellentiae Vestrae exigit a me, partim gratias sibi referendas, partim petita quatenus delationibus ex adverso non tam facile credat suaque bona officia mihi non deneget, qui cum plenissimo respectu maneo

Radomyslia die 29 Iulii 1773.

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris singularissimi addictissimus Frater et Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. Metrop. totius Russiae

Referent quaedam Procuratores mei Excellentiae Vestrae ex literis suis de iis, quae ibi fiunt.

fol. 286: Excell.mo D.no Nuntio Apostolico.

202.

Didowszczyzna, 6. VIII. 1773.

Occasione S. Laurentii optima quaeque ominat et lamentatur de quibusdam provisionibus sibi nocivis.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 89, fol. 188.

Illustrissime et Reverendissime Domine
Patrone Obsequentissime.

Quoniam hasce literas contigit mihi dirigere imminente anniversario die Divo Laurentio Martyri sacro, exordior a verbis: quatenus Illustrissimam Dominationem Vestram, mediante intercessione Patroni sui, Deus ter Optimus Maximus ad altiora in Ecclesia Dei in longos annos incolumem servet.²⁵⁷

Tum subjungo, sensibilter me permotum esse remediis juris ad Istantiam RR. Bielawski, Lubinski etc. emanatis, quibus stringor ad respondendum: cur ac si contra mentem concordiae requiram a praememoratis Actoribus cathedraticum mihi debitum solvendum? Videtur hoc sapere summam exacerbationem et indignationem a Clero sui Pastoris. Ejusmodi Actoratus potius competeret Illustrissimo Coadjutori, tanquam super obiecto illius commodum respiciente, qui tamen longe prudentior illis, non adhibitis praeclaris interpretibus articulorum, in silentio expectat conveniens tempus.

Denique me reverenter subscribo, Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae

Addictissimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus (mp.)

Didowszczyzna, die 6 Augusti 1773.

Fol. 188: Ill.mo Domino Auditori S.ae Nuntiaturae.

203.

Didowszczyzna, 6. VIII. 1773.

Petit ut supersedeatur traditioni iurisdictionis Coadjutoribus donec impleantur omnes articuli concordiae initae ex eorum parte.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 91, f. 334-335.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine,
Patrone Colendissime.

Postquam direxerim literas ad Excellentiam Vestram, intimatum mihi est instrumentum suum, quo mediante Literae Vicariatus datae per me favore DD. Coadjutorum concreditae sunt Ill.mis Compromissariis, propter tradendas easdem ad manus DD. Coadjutorum, et effectuum regimen seu committendum in spiritualibus, nec non Decretum Ill.morum

²⁵⁷ Forsan agitur de Laurentio Litta, dein Nuntio Apost. Varsaviensi, ab an. 1794.

Compromissariorum, quo mediante, ob validissimas rationes meas, pro-rogarunt terminum sui Compromissorialis iudicii ad diem 22 Augusti.

Eorum omnium licet quidem debitae executioni demandatio ab Ill. mis Compromissariis vigore Delegationis et omnimodae facultatis sibi commissae pendeant, rogo tamen, quoad Literas Vicariatus iniunctum habeant DD. Compromissarii ab Excellentia Vestra, non prius (promulgandas tradendasque eas, donec satisfactum fuerit articulis pro parte mea facientibus; similiter quod attinet terminum non (f. 334v) sufficientem, quatenus ulterius prorogetur. Alias assecuro, his stantibus calamitosis circumstantiis, R. Prymowicz nullomodo obviaturum damnis Religionis post meum inde abscessum subsequituris.

Faciat instare Excellentia Vestra pro me ad DD. Coadjutores, qui tanquam Debitor Evangelicus oro: sint patientes modicum et omnia reddam. Si non causa Religionis ibi me detineret, hodie eggrederer. Maneo cum profundissima venerationes

Ill. mae et Rev. mae Excellentiae Vestrae, Bonifactoris singularis

Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus

Didowszczyzna, die 6 Augusti 1773.

(f. 335).

Relatum mihi est: Nobilitatem in hoc tractu decidisse: si aliter repellere Disunitos non poterunt, Ecclesias demolient, uti et faciunt in Jasnohorodka.

fol. 334: Excell. mo Domino Nuntio Apostolico.

204.

Didowszczyzna, 6. VIII. 1773.

Novae persecutiones Unitorum et de defensione presbyterorum et bonorum, nec non de incarceratis Berdyczoviensibus, et tandem de iniuriis sibi illatis ex adversa parte.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 91, f. 338-339.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

A septimana ibi in Didowszczyzna, bonis meis, permaneo, repellendo possibilibus mediis Disunitos hunc locum occupare volentes, erigendoque in spem residuum Presbyterorum Unitorum violento impetui haud resistere queuntium, uniceque ex incolumitate bonorum meorum a schismate liberorum sibi augurium ominantium. Sed cum in dies augeatur numerus recurrentium ad me Parochorum cum novis delationibus, quod Rectores

Disuniti cum brachio militari Russssise cursitent ubique, cogant ad tradendas sibi Ecclesias, inhibeant et impediunt Unitos administrare Sacramentum etiam Baptismi, audeant oppugnare haec oppida, villas, quae fortiter hucusque resistebant illis, praecipue in bonis Principis Szuyski, Ill.mi Pocillatoris Regni ac aliorum, procul dubio difficillima erit oppositio, si desuper non suppeditabuntur necessaria media. Ex mea parte omnes adhibebo modos pro non admittendis Disunitis ad bona mea; sed si (quod (f. 338v.) Deus avertat) praevaluerint, contra aggressores postea insurgere, est juxta eorum interpretationem contravenire Rescripto Imperatricis Russiae, 1771 anno emanato; quam effiguratam contraventionem graviter vindicant. Praebuit quidem singulare exemplum his diebus oeconomus Principis Szuyski, qui Rectorem Disunitum, cum aliquot cosacis invadentem Ecclesiam in villa Jasnohorodka, ligavit et in carcerem destruxit, sed quid inde eveniet pro futura posta non praetermittam deferre Excellentiae Vestrae.

Alterum, quod mihi maerorem attulerit praeterita septimana, est: post fugam recentem quatuor incarceratorum Berdiczoviensium, summe iratus Officialis Russicus praesidium tenens, strictissime tractare incarceratos reliquos praecipit, quos a me tanquam cautore repetens, epistolam plenam minis scripsit; quocirca coactus fui unum repertum in Chwastow retro remittere et reliquos investigare, certos faciendo (f. 339) de nulla illis inferenda iniuria; uti quidem praedictus Officialis pristinum discretiorem modum procedendi illi et reliquis restituit, mediante literis meis.

Queror coram Excellentia Vestra, quod ex sua Cancellaria, ad instantiam RR. Bielawski, Lubinski ac aliorum multorum ex Decanatu Pavolocensi contra me emanaverint remedia iuris, quibus stringor ad respondendum; cur ac si contra mentem concordiae requiram a praememoratis Actoribus cathedraticum mihi debitum solvendum? Est hoc summa exacerbatio et indignatio a Clero sui Pastoris, Pastoris, cujus multi ex illis singularia erga se experti sunt beneficiorum documenta. Ejusmodi Actoratus potius competeret Ill.mo Coadjutori, tanquam super obiecto illius commodum respiciente, qui tamen longe prudentior illis, non adhibitis praeclaris interpretibus articulorum, in silentio expectat competens tempus. (f. 339v) Interea me cum debita veneratione subscribo

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris singularissimi
servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. Metropolitanus totius Russiae (mp.)
Didowszczyzna, die 6 Augusti 1773.

205.

*Radomyslia, 13. VIII. 1773.**De residentia Varsaviensi PP. Basilianorum et de praetensionibus Procancellarii Lithuaniae.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 89, fol. 189.

Illustrissime, Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Obsequentissime.

Cum ex relatione Nepotis mei Varsavia redientis acceperim, quod Illustrissimus Chreptowicz, Magni Ducatus Lithuaniae Procancellarius, hanc desiderat in Palatio Metropolitanano Varsaviensi aream, quam Antecessor meus Illustrissimus Hrebnicki Metropolita Patribus Basilianis Suprasliensibus pro aedificatione Ecclesiae, et Residentiae in Congressu nostro Episcopali Novogrodensi anno 1761 habito cesserit, tunc ante omnia eosdem Patres Basilianos convenire, et ipsorum mentem exquirere necessarium esse existimo, quatenus sine laesione praedictae Transactionis, et Partis, votis Illustrissimi Procancellarii et Dominationis Vestrae Illustrissimae, Reverendissimae interpositis Officiis adaequate, prout desidero, satisfacerem. Adest etiam proxime adjacens area, nunc a Gedansibus possessa (quae pariter ad fundum Palatii Metropolitanani, prout Documenta abunde sonant, originaliter spectabat) longe commodior, ad quam rehabendam, si Illustrissimus Procancellarius Officiis Ministerialibus me adjuvaret, facillimum et promptum me haberet ad eam usui suo mediante (f. 189v) contractu locandam, non tamen ex ipsa praevia Conventione cum Patribus Basilianis, et remoto supra memorato impedimento locandae etiam alte dictae areae ab illustrissimo Procancellario propositae quantum ex me obstabo. Super his cum Dominatio Vestra Illustrissima Reverendissima sensum exploratum habuerit Illustrissimi Procancellarii et me plenius informaverit, et media quibus sine injuria Patrum Basilianorum id praestari possit subministraverit, meum erit facili promptoque assensu respondere, utpote omni occasione adnitentem contestari quod sum cum propensissimo cultu et veneratione

Illustrissimae Reverendissimae Dominationis Vestrae

Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus (mp).
Radomislae, die 13 Augusti 177.

206.

*Radomyslia, 14. VIII. 1773.**De impossibilitate satisfaciendi decreto Iudicum Compromissorialium in concordia stabilienda cum Coadiutoribus, et de alia provisione in materia.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 342-343.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,
 Domine, Patrone Colendissime.

Ut contester sincerum meum erga Excellentiam Vestram Ill.mam Rev.mam obsequium, et reverentiam, omni quo possum meliori modo profiteor me ulteriorem dilationem non alio motivo expetiisse, neque ea humanissimis Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae Literis, in manus nepotis mei Varsavia redientis consignatis permissa, in alium finem utendum fore, nisi ut in controversiis super praetensionibus ad Ill.mos Coadjutores habitis meliorem et celeriore assequar exitum, concordiaeque inter Nos in ita adaequate et ordinate satisfiat. Etenim quamvis pro immediate futuro termino et actu comparerem et praetensiones meas producerem, ad debitum ordinem non... lactas et probationum momentis non suffultas, non intelligo quomodo illas Compromissarii Iudices perfecte cognoscere, multo magis sine laesione iuris et iustitiae partisque injuria definire vel componere possent. Porro, qua ratione possibili opportunas probationes in promptu habere debeam, siquidem inventaria administratorum, registra et calculationes, contractus, quietationes aliaque ejusdem generis documenta, ex quibus damna liquido apparerent et comprobarentur durante Ill.morum Coadjutorum administratione deportata, hucusque apud eosdem sive illorum Ministros haerent, quinimo ne in tali defectu ab administratoribus et reliquis rei oeconomicae antiquis meis ministris informationem saltem in tempore habere possum, eosdem consulto in initio administrationis suae amoverunt, et tales substituerunt, quos sperabant mihi fore contrarios, et requisitioni meae in tempore non parituros. Insuper, post reditum meum ex magno Ducatu (f. 342v) Lithvaniae in Volhyniam, nonnulla documenta ad hanc cathegoriam necessaria, tum etiam alias correspondentias, supponendo securum fore depositum, locaveram apud D. Wierzbicki, Regentem Terrestrem Vladimiriensem, pro tunc negotiis meis addictum, qui postquam subsequenter transierit in partes Ill.mi Coadjutoris Vladimiriensis, supra memoratum depositum retinuit, et post multoties repetitas requisitiones meas extradere dene-gavit. In his itaque circumstantiis, ne inermis et indefensus existerem, necessarium esse existimavi deputare ad quodlibet praedium Episcopale

Vladimiriense et Mensae Metropolitanae Revisores, qui ex scrutinio et indagationibus in fundo factis me ad iudicium Compromissale perfecte informarent; quod opus justum exigens tempus, adusque non est consumatum. Ex hac igitur vera et sincera relatione concludat Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma quisnam est causa praesentis protellationis! Et utrum ego inermis et indefensus coram iudicio Compromissoriali comparere debeam? Nec non utrum iudices Compromissarii, ex nude duntaxat relatis, plene et efficaciter controversias nostras definire vel componere possint. Nihilominus, ut eo quo possum modo Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae insinuationibus satisfacerem, designavi pro mox futuro actu compromissario Plenipotentes, qui praetermissis aliis dilationibus instabunt duntaxat pro communicatione ab adverso si quas habere praetendunt vigore intercepti, actoritatis, praetensionum, cum iusto ad replicandum termino, qualis et finiendo Revisorum meorum operi et parandis replicationibus sufficeret, injungendo iisdem Plenipotentibus praeterea, quatenus distinctim urgeant comportationem ex adverso, si opus fuerit etiam sub nexu iuramenti omnium inventariorum, Regestrorum, contractuum ut supra recensitorum, stante administratione Ill.morum Coadjutorum deportatorum, tum etiam depositi (f. 343) mei apud D. Wierzbicki locati, ratione quorum dignetur etiam Excellentia Vestra Ill.ma et Rev.ma monere Ill.mos Coadjutores, quatenus justae et opportunae huic meae requisitioni satisfaciant amoveantque occasionem pro defensione mea ad juris beneficia non sine protellatione recurrenti. Haec postquam praecesserint, conclusioni istius Compromissi mea quoque praesentia non deero.

Nunc autem Religionis negotium, quod prae omnibus meis privatis praeferre debeo, residentiam in hac dioecesi meam requirit. Etenim, quam nihil aliud iam nobis superesse videatur, nisi Regni istius pacificationem patienter expectare et usque tandem in iniuriis nostris aliquam sperare medelam, nihilominus quoniam adversarii non contenti antierius per vim occupatis Ecclesiis et beneficiis Unitorum, variis fraudibus et potissimum exquisito dolose Plebeiorum assensu, sub hoc praetextu quotidie ferme novas attentant deoccupationes, et iam bonis residentiaeque meae proxime appropinquant, pro munere meo Pastoralis obligatum me esse existimo omni possibili modo, saltem ne haec pestis ulterius dilatetur, impedire, ad quem effectum etiam Excellentiam Vestram Ill.mam Rev.mam enixissime imploro, ut interpositis suis gravissimis officiis id saltem efficere dignetur, quatenus ad conclusionem comitiorum adversariis disunitis desuper prohibeatur ulterius similia attentare, alias post discessum praesertim inde meum nulla in Unione remanebit Ecclesia.

In descriptione gravaminum Clero nostro a Disunitis patratorum ego met ipse non exactum ordinem deprehendens, insinuavi nonnullis, vigore

instrumenti convocatorii ad me advenientibus Decanis, ut eadem quilibet pro Decanatu suo coordinatius et demonstrabilius conficiat. Sed haec mandata mea sive ab timore Disunitorum sive ex occasione multiplicatarum jurisdictionum, vacillando in praestando Pastori suo debito obsequio, intermiserunt. Nihilominus renovabo alte dicta mandata, et postquam illis satisfactum fuerit, (f. 343v) Ministris meis iniungam, ut ad normam et ordinem ab Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma praescriptum reducant, successive transmittenda. Ac tandem pro praestitis mihi favoribus summas referendo gratias ulteriorique Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae Patrocinio me recommendando, maneo cum profundissimo cultu et veneratione

Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae, Benefactoris singularissimi
Humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp.)

Die 14 Augusti, 1773 anno, Radomyslia.

207.

Radomyslia, 21. VIII. 1773.

De ulterioribus difficultatibus Unionis in Ucraina, de praesbyteris indigentibus provisione, de tractu Tetijoviensi.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 344.

Illustrissime, Excellentissime ac Rev.me Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Ad ea quae in alia anteriore Cursore Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae pro exili sensu meo exponere exstimavi, adhuc mihi quoad rebelles istos apostantium in hac Archi Dioecesi conatus occurrit reflexio, quod casu quo, quod Deus avertat, pars adversa omnino urgeret ex motivo nonnullorum ex Plebe hanc apostasiam affectantium illorum desideria manutenere, tunc contra ea, praetermissis aliis rationum momentis, quae apud nos non deessent, ex ipsorummet Collegii Synodalis Petropolensis regulamento, pro Clero suo temporibus Petri Imperatoris²⁵⁸ edito et in anno 1765 reimpresso, tela parata esse possunt, nempe quod Folio 11 expresse de Doctrina Christiana: « Rudiozem Popolum nequaquam posse inter bonum et malum judicare » cautum est, ex quo sequitur eundem si non eam fidem quam Sancta Catholica Ecclesia proponit et sine qua impossibile est placere Deo, tunc saltem secundum praesentem politiem eam quae

²⁵⁸ Petrus I Alexeievic, 1682-1725, Czar Moscoviae; agitur de eius « *Regulamento spiritali* » de anno 1721.

est Dominans debere sequi. Praeterea ad evitandam hanc mutationem efficacissimum ex omni parte putarem remedium, ut ordines Reipublicae Nostrae satius tales, qui eam ex plebe praetenderent, Moschis ad sua Dominia tanquam suae professionis propitios eximere permetteret, quali modo non tantum in post praeccluderetur via aliis cum continua fere perturbatione Reipublicae apostatandi, verum in modernis apostatis, postquam ad illorum notitiam talis ordinatio pervenerit, maximus excitaretur timor non modo illos conatus detestandi, sed ne in manus odiosi sibi Moschovitici Imperii incidant, simpliciter ejurandi; quali casu etiam posteris ipsorum remanebit memoria, ultro similibus abhorrerent! Et cum ea occasione multi ex suis provisionibus ejecti modo non habeant ubi vivant, sed etiam ubi caput reclinent, ex quibus etiam veniant aliquot Presbyteri catholici in Tractu Tetjoviensi, iuri ad praesens Ill.mae Ducissae Sanguszkowa, Mareschalcae Curiae Magni Ducatus Lithvaniae, Gedani degentis, subjecto reperibiles, utpote duo Tetijovienses, totidem Piatykorenses, quorum unus cognomento Michael Stopczanski non modo in Archi Dioecesi hac munus Cancellarii in Curia mea plusquam per decem annos obiens, verum aliis Episcopatibus variis functionibus absolutis minus censetur demereri, etiam eo non posthabendo motivo, quod cum duobus primis ex carceribus Humanensibus non alienus a Fide Catholica regressus est, tum quod illius non minus studio et exemplo in Decanatu Tetijoviensi, cui praeest adhuc, circiter quinquaginta Ecclesiae nostrae catholicae serventur, quintus denique Lobaczoviensis et sextus Rososzensis. Quare licetsi ego met ipse pro expetenda pro ipsis provisione ad praedictam Dominam scribere sim paratus, nihilominus tamen cum (f. 344v) minimi nutus Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae majoris ponderis ubique semper conseantur, quam meae enixissimae expustulationes, ideo eandem, cui non minus cordi est Clerum afflictum sublevare, humilime rogandam esse duxi, ut ad praemissorum effectum, nempe quatenus non modo prae status exigentia, ii verum circa omnimodam a Curia immunitatem et maintenancem usum agrorum et pratorum fructuumque et feni per illos subditos, qui hujus motus occasionem dederunt, collectionem habere possint, verum aliis liberalitatis et benevolentiae officiis benigne prosequantur, validissima sua officia interponere, me ipsum ulterioribus suis gratiis et favoribus prosequi non dedignetur, quibus et modo me continuo commendans, cum infinita recognitione maneo

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris singularissimi

Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp.)

Radomysliae, die 21 Augusti, 1773 anno.

208.

*Radomyslia, 21. VIII. 1773.**De gestis et abusibus Officialis Primowiecz, et de suspensione decreti compromissorialis, aliisque rebus connexis.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 91, fol. 346-347.

Ill.me, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Sicut anterioribus meis absolute non contradicebam, ut D. Prymowicz pro Visitatione non deputaretur, ita et modo minime sum contrarius, dummodo ejus labor non sit inanis; quia magis opto quam spero, ut exinde aliquid boni eveniat, ex quo ubi est visitaturus vi tutus accessus dari potest.

Miror interim summopere quod dictus D. Prymowicz, ac si ipse unicus et solus turdus fuisset inter aves, tale invenit creditum, ut etiam ipsiusmet Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae animum in favorem ejus haberet: si enim exinde placuit eidem, quod apud me Officialis munus gerens ipsi magis quam mihi pronior et propensior fuit, tunc maxime est laudandus; si ex aliis qualitatibus, tunc digniores dari possunt. Ex opibus vero ipse fateor maxime esse praeponendum, quia in eo munere quod gesserat nullum ei magis studium fuit, quam depactationem Cleri quaerere unumque discooperire altare, ut aliud cooperiatur, de quo hucusque ad ipsum ad aliquot centena millium florenorum Polonicalium praetensiones non desunt; et modo accepi relationem quod post D. olim Drozdowski, Bonorum Tractus Tetijoviensis Tenutarium, pro triginta pro tunc reperibilibus in iisdem bonis Presbyteris, pro unoquoque per centum florenos trium millium florenorum legatam sumam ab annis circiter viginti ad se recepit et per tot annos recipiens ab ea usum fructum nemini obolum dedit. Demum defunctum Parochum Karpilowcensem ante aliquot annos vi et metu ad Testamentum induxit, quo per se met ipsum conscripto, pariter de quo in praesentia multorum querulabatur coram me, emunxit ab eodem Rubliones, in fallor, centum quinquaginta. Postea vero cum apud pie functum Antecessorem meum deventae fuerint contra ipsum querelae de hac depactatione Cleri, in compensationem earundem promiserat pro Seminario viginti millium summam, sed nec huic proposito, quo me ipsum per aedificationem hic Radomisliae antecipative Seminarii induxit in expensas, satisfacere curavit; sunt et alia permulta, praetensiones et notae, quibus numerus innumerus, ex quibus ipsamet Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra facile intelliget, qualem fructum et utilitatem ex ipsius

visitatione, etiamsi expediatur, Archi Dioecesis sit sortitura. Nihilominus tamen, posthabitis omnibus, ne quocunque titulo videar a negotiis illis, quae commodum et emolumentum in his calamitatibus (f. 346v) Cleri afflicti adferrent, esse alienus vel mandatis Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae, quae semper veneror et amplector, contravenire, non omittam ab ipso quaerere, quae proficua et utilia esse possunt, ad quem effectum ut ad me, semota praetensi timoris causa, veniret, ipsum vocandum esse duxi, et quamvis non advenerit, attamen ut non desistat a proposito, deputationem ipsius pro praedicta Visitatione per Ukrainam, ut quod conniventia sua pacatiori tempore sub regimine Antecessoris mei destruxerat, modo reparare studeat; aliorum vero in alias partes Dioecesis decernam. In eo tamen nullam patiatur Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra molestiam, quasi ego illis qui partem adversam tuebantur facerem aliquam ex interesse proprio injuriam, quia quaecunque sinistre repraesentantur minime nituntur veritate; si vero aliquis eorum ex alieno actoratu in iudicio meo convenet, tunc omnino debeo procedere prouti iudex et non aliter etiam contra Rev.dum Koltunowski, Parochum Gnilecensem, quem praetendunt ad Religionem extraneam convolasse, me gessisse; si vero re ipsa ita est factum, ut idem Parochus iurisdictioni extraneae subscriberat, tunc non mihi, sed praedicto D. Prymowicz sive ipsius motuum praesentium inter restantem Catholicum Clerum subalterno, nempe Rev.do Ilnicki, praetenso Parocho Chodorkoviensi, qui ipsum ad id, ut mihi exinde aliqua esset nota, fomentatione sua induxerunt, potius est imputandum; et quamvis motu proprio contra eudem Rev.dum Koltunowski procederem, tunc et eo rectos tramites justitiae non transcenderem, quia de illo, sub quem etiam alii, qui parti adversae adhaeserunt, exemptis paucis nonnullis, venire possunt, talem pro conscientia proferrem sententiam; quod melius esset ut ob delicta sua enormia nec nominetur inter clericum. Et haec sunt permoventiae desiderandi per nonnullos praetensam administrationem Rev.mi Coadjutoris mei, quo facilius paenas demeritis suis debitas valeant evitare. Interea, summas Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae refero gratiarum actiones, quod intimationem eiusdem administrationis suspenderit, iudiciumque Compromissariorum prudentiali arbitrio reliquerit. Qui cum iustitiam perperderint istam confusionem inter me et D. Coadjutorem meum iurisdictionis, non postremam huiusmodi in Dioecesi calamitatum occasionem praebuisse non facile ad executionem devenire deberent, revocando sibi in memoriam, quae Antecessor ejus Exc.mus (f. 347) Dominus Nuntius praeteritus,²⁵⁹ cum salvum conduc-

²⁵⁹ Agitur de Nuntio Varsaviensi Angelo Maria Durini (1766-1772).

tum adhaerentes adversae parti ab ipso expetissent, de modernis afflictionibus haec formalia quasi prophaeico spiritu praedixerit: « Redeant, redeant, obediant Pastori suo, Bone Jesu! ista administratio pestis est extrema ». Ut vero Clerum meum non paterne tractarem, facile sibi Ill.ma ac Rev.ma Excellentia Vestra suadere dignetur, nam non latet me quod etiam in corrigendis plus valet benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas. Neque Cathedratici exactione molestus debeam recenseri, cum solum in istis locis, ubi adhuc per Dei gratiam nullam afflictionem beneficiati patiuntur, ab ipsis quae-rebatur; sed et hoc expenditur in praesentem necessitatem diaecesis. Quo super est, ut toties memorato D. Prymowicz documenta quaevis necessaria et opportuna ad casum praesentem ex Grodecensi Archivio subministrarem, statim ad ipsum scribere demandavi, quatenus me de illis informaret, vel pro majori informatione ad me ipse, uti non procul distans, veniret; videbo enim quid efficiam ab ipso; pariter elenchum ex libro Beneficiorum requisitum describere curabo indilate, ut manifeste pateat quaevis mandata Apostolica apud me esse singularis observantiae, quam et modo palam profitendo, infinita recognitione maneo

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefact. me singularis-simi, Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp.)

Radomysliae, 21 Augusti, 1773 anno.

209.

Radomyslia, 28. VIII. 1773.

De perfectione concordiae cum Coadiutoribus quaedam explicationes, et aliae notitiae ex Ucraina.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 349-350.

Ill.me, Excellentissime et Rev.me Domine
Patrone Colendissime.

Si non dederim toties documentum promptitudinis meae ad exequentia omnia quecunque committuntur mihi ab Excellentia Vestra, non tam acerbe ferrem ea, quae ex literis, sub die 12 Varsavia ad me directis, legi.

Concordiae initae non repugno; Sanctae Sedi Apostolicae uti semper obedivi, obedio; ita Filius obedientiae permanere volo, quousque vixero. Diaecesium mearum utilitatem ac necessitatem non minori studio ac salutem curavi, et curo. Et quia facientia pro parte mea in articulis concordiae effectuandae intendens, requiram aliquantum temporis, idonee culpabilis reperiar concordiaeque repugnans?

Ex causis dilationis, si quas unquam scribens allegaveram, luculentissime patet, me eas non exquisivisse, sed ipsasmet mihi vel nolenti, cum incommodo meo, sese obtrusisse, nisi forsitan de realitate earum dubium oriretur, quod ego facili negotio, dato loco et tempore, amovere possem evinceremque ipsam protractionem regiminis mei spiritualis (non ad laudem meam dico) non pro interesse privato, sed optimo (f. 49 v) et saluberrimo fine impensam fuisse.

Sed quoniam D.D. Coadjutores urgentes quam citissime sibi cedendum regimen, meas rationes repudiant, meque diffugiis laborare arbitrentur, pro 22 Augusti, juxta praefixionem Ill.morum DD. Compromissariorum Vladimiriā meos Procuratores misi, cum facultate agendi; experiantur ibi prius et postea quod suum est repetant. Praecaveo enim solemnissime non citius tradendum esse regimen, donec ab ipsis mihi satisfactum fuerit; alias non ego, sed ipsi censebuntur concordiae repugnantes.

Seriem subscriptorum Presbyterorum mitto; reliqui difficilime conscribendi, ideo quod nemini ex Decanis meis ad plurima loca securus est accessus.

Me interea cum debita veneratione subscribo

Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae,

Humillimus et obseq. servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp.)

Radomysliae, die 28 Augusti, 1773 anno.

(f. 350)

Missurus eram praeterita septimana Ill.res et Ad.um Rev.os Wyhowski, Officiale meum Kijoviensem, et Urbanowski, Decanum Pawolcensem ad Generalissimum Exercituum Russiae Comitem Romancsev in bene noto negotio; sed cum resciverim a Legatis hujus Palatinatus, qui ex Valachia rediverunt, illum non reperiri in Iassy, sed ad Danubium, post cladem recentem, abstinui ab ejusmodi proposito.

Admodum Rev.dum Prymowicz requisivi, quatenus communicaret mihi suas Literas Delegationis et condescenderet ad me propter faciendum colloquium super praesenti rerum nostrarum statu, sed hucusque non paruit ejusmodi meae requisitioni.

fol. 349: Excell.mo D.no Nuntio Ap.lico.

210.

Radomyslia, 29. VIII. 1773.

De concordia cum Coadiutoribus, de persecutionibus Unitorum in Ucraina.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 11, f. 303-304.

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini,
Domini, Patroni Colend.mi.

Non dubito quod Eminentijs Vestris prone sit notum, quid quid in negotio meo cum Coadiutoribus, post Decretum Confirmationis articulorum Concordiae et Litterarum Patentium favore Coajutorum, in hucusque sit actum! Omnia enim relata esse credo per hunc Ill.mum Apostolicum Nuncium prout et eas quas in parte meae Archidioecesis per Schismaticos S. Unio persecutiones exacte Eminentijs Vestris recensitas. Ego autem quod partium mearum erat, non omisi hic diligenter communicare cum dicto Ill.mo Domino Nuncio, et per epistolas assiduas eundem certiore reddere de ijs omnibus quae in ista Ukraina per hostes Ecclesiae Sanctae Altissimus his calamitosis temporibus pati nos voluit et post omnes curas quas ex Officio et munere meo Pastoralis ad id opportunas putavi quasque pro aversione tanti mali adhibere non omisi, illud duntaxat a Catholicis nostris ad tractandum cum extraneis Pontentiarum Ministris selectis obtinui, quod promiserint omnem conatum intendere, ut et in Partibus recenter occupatis Fides Catholica in toto conservetur, et Ukrainae Ditus Regum Poloniae ab irruptionibus Episcoporum schismaticorum in posterum praecustodiatur. Deus Optimus causae huic quae est gloriae suae det tandem exitum prosperum, quae in hac delegatione, et post in Comitibus reassumendis cum alijs Reipublicae gravissimis negotijs discutienda ac terminanda venit.

Quod attinet negotium meum, (f. 303v) cum praetensiones reciprocas finendas voluimus coram Iudicibus arbitris, quos elegimus, hae adusque compositae non sunt. Sed in Termino ex Citatione comparando, petii temporis spacium, quo incepta et ad majorem jam partem perducta Registra redituum, tum aliarum praetensionum plene confici possent; difficile etenim Commissarijs meis fuit illud apud perficere, tum ob rationem quod isti maximas difficultates habuerint in inveniendis veris proventibus sub tempus administrationis ex Bonis promanantibus, nam horum notae reales apud Gubernatores Coadjutorum haerent, tum quoque ob alia varia Exercitus tam exotici quam Regni in Bonis mensurarum consistentis eaque maxima impedimenta. Praeterea a meis Coadjutoribus fuerunt productae notae proventuum ac expensarum in terminis admodum generalibus contentae, ita ut ex eis edoceri haud possibile fuit de individua pecuniae erogatione, atque adeo inhaerendo Decretis Eminentiarum Vestrarum non vidi qua ratione satisfactio dari potuisset, quam mihi semper ex Coadjutoribus repetendam reservavi. Hoc non obstante, percipio quod Jurisdictio Spiritualis Coadjutoribus vigore punctorum concordiae tradita et publicata brevi erit! Ast (f. 3 4) si illa concordia (:quam me fecisse non libenti animo Eminentijs Vestris mox detuli:), si haec, inquam concordia stare

debet, quo modo in meis acerbissimis injurijs minime satisfactus ad cedendam jurisdictionem adigar? quomodo illas pascuae meae residuas Oves quas praesentia mea in Ukraina reficio et ab hostium jaculis protego relinquare in his calamitosis temporalibus adstringar? Non adduco hic studium et rationes (:Deus nam solus erravit:) quibus et quam sollicite procurare non omitto tam resarcitionem cladis et damnorum per Schismaticos illatorum, quam obfirmationem residui partium istarum Populi in bono proposito S. Fidei Coatholicae, missa haec facio, sed humiliter recurrendo ad Eminentias Vestras duntaxat enixe exoro atque obtestor ne me tantis injurijs afficere atque affligere patiantur. Non detrecto debitam obedientiam mandatis S. Sedis Eminentiarumque Vestrarum, quinimo haec quam religiosissime (f. 304v) observari cupio, sed ut pari quoque devotione et obedientia a meis Coadjutoribus custodiantur, illud unicum imploro atque cum debita reverentia et omnimoda veneratione maneo

addictissimus, devot. mus et humillimus servus et Exorator

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. Metropolita totius Russiae (mp).

In Radomysl, die 29 Aug. 1773 anno.

211.

Radomyslia, 4. IX. 1773.

De persecutionibus Unitorum in Ucraina et de conaminibus Metropolitanae apud varia subsellia subveniendi necessitatibus suae Ecclesiae.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 33, fol. 276.

Traductio Epistolae Ill.mi Metropolitanus Russiae ad Dominam Castellanam Canioven., de dat. 4 7bris 1773 Radomysliae.

Violentiae Dominorum Perejaslaviensium nostris RR. Presbyteris in Palatinatibus Kijoviensi et Braclaviensi continuo inferri solitae, non tantum non minuuntur, sed magis magisque augentur, iteratae ad Illustrissimam D. V. scriptionis in negotio afflicti Cleri mihi praebent occasionem. Ut obviarem illis violentiis, ac invenirem modum eliberandi ex carceribus nostros Presbyteros Unitos, qui a S. Fide Catholica recedere, et ad Disunionem transire nolentes hucusque in iisdem Carceribus detinentur, me contuli in eosdem Palatinatus, in quibus, etsi cum Officialibus Rossiacis commendam illis habentibus aliquid efficere hac in materia voluerim, hanc nihilominus ab illis accepi Responsionem, quod hoc non ab illorum dependeat voluntate, sed ab ipsamet Serenissima Imperatrice Russiae, cujus mandata exequi debent. Ill.mo D.o Nuntio Apostolico, a tempore adventus mei in Ukrainam, omnes progressus Disunitorum, cum omnibus circumstantiis qualibet posta non omisi, et ulterius deferre non cesso,

nullum tamen ab illo favorabile consilium attingere possum. Aulae Vienneſi et Petroburgenſi per certas ſubordinateſas perſonas, creditum apud eaſdem habentes, communicare, et plenam informationem de his violentiis dare non praetermiſi, imo ipſemet Excell. muſ Nuntius per Legatum Vienneſem in Petroburg reſidentem, et ab Imperatore ſuo plenam commiſſionem de his habentem, ex vi muneris ſui, talibus infelicitatibus occurrere ſtudent, fecit paſſus, ſed hi abſque fructu remaſerunt, nam et ipſemet Excell. muſ Nuntius nullam recipit notiſiam quemadmodum declaravit Filiastro (f. 276v) meo, quem in negotio Fidei, et Hierarchiae Varſaviam miſeram. Ejusdem Excell. mi Nuntii eſt mens talis, ut coram Delegatione praesenti Varſaviae tractatus cum Miniſtris Plenipotentiariis 3 Potentiarum Regiones Nobis accipientium, facientibus, poſtquam venerit projectum de Religione ad deliberandum, hae omnes impracticabiles exorbitantiae explicentur. Hic ultimus pene modus an favorabilem habeat eventum, in his criticis circumſtantiis divinare impoſſibile. Ego tamen et hoc medium omittere nolui, ad quem obtinendum effectum omnes gresſus, Perſonae a me mihi ſubordinate dirigent, et promovebunt. Ill. ma D. V. apud Imperatricem Reginam, utpote habens conſiderabiles reſpectus, ſuam auctoritatem et interceſſionem interponere non gravetur, faveat innata ſibi zeloſitate erga Fidem Catholicam, apud eandem intercedere, quatenus injungat ſuis Legatis Peterburgi et Varſaviae exiſtentibus Sua Caesarea Maſteſtas, ut reſtitutio occupatarum Eccleſiarum, Parochiarum, Fundorum, Libertas Religionis Eccleſiae Ritus Graeci Latino Uniti, inflictio paenarum in apoſtatantes juxta conſtitutionem ultimarum Comitiarum, eliberatio noſtrarum Preſbyterorum ex carceribus, quos veſtire, et alere ex Bonis meis jubeo, compenſatio plenaria damnorum factorum, et prohibito impoſt faciendorum provide ſubſequetur. Ill. muſ Ep. puſ Leopoliensis, loco ſc. quod in laboribus meis deberet mihi eſſe adjutorio, poſtquam hic venerit et ſolus in perſona et clerum contra me incitare non deſinit, et violenter jurisdictionem recipere vult; ſed Preſbyteri videntes, quid Clerus in Dioeceſi Leopoliensis patitur et quales ſuffert oppreſſiones, tantum ſub mea jurisdictione manere deſiderant, timentes ne ſimiles experiantur effectus.

Regiſtra omnium Eccleſiarum et praetentionum ab ipſiſmet Preſbyteris conſcripta, originaliter tranſmiſſa ſunt Varſaviam.

De ſatiſfactione petitionum mearum ſupra ſpecificatarum humillime rogo Ill. mam D. nem, manens etc.

F. WOŁODKOWICZ.

P. S. (propria manu Ill. mi Metropolitan) Rogo, ut me non dimittat ex ſua benigna protectione et ſupplico, ut nos recomendet S. M. Caesareae, tum D. Pergen et Hadyk, Leopoli commorantibus.

212.

Radomyslia, 4. IX. 1773.

De executione concordiae cum Coadiutoribus responsa ad obiecta Nuntii, de remediis adhibitis contra persecutionem Unitorum in Ucraina, et de aliis negotiis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 314-315.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Omnibus serio perpensis sub die 19 Augusti Varsavia ad me scriptis, seclusis affectionibus, miror primo causam iudicare haud valens, quonam fato evenerit propensitatem in me Excellentiae Vestrae, factis et scriptis hucusque continuo intimatam, repentine denegatam esse adeo, ut in praecedenti sua epistola me in posterum canturum suo sermone, praesenti vero se contra mea desideria acturum, exponere non dubitaverit; tum ad eadem repondeo. Ne viderer contravenire inita Concordiae, Sanctissimi Domini Nostri auctoritati, Excellentiae Vestrae tanquam mediatoris dignitati repetendo postulationes et causas dilationis, jam legit Excellentia Vestra praeterita adhuc septimana, quod miserim Procuratores pro incidenti termino Vladimiriam.

Inter alia in recepta recenter epistola reperiuntur sequentia: *ulterior dilatio qua Coadjutoribus suis spiritualis administratio differatur convenire non potest... istius Diaecesis utilitati.* O, lugubres dies senectutis meae! Egi feliciter Episcopum Chelmemsem, Vladimiriensem, egi Coadjutorem felicis recordationis Coadjuti mei olim Metropolitanam, Sanctissimi Domini Praelati Domestici, ago Metropolitanum a tansacto tempore; majorem partem Ecclesiarum de nova radice erexi in ista Dioecesi, plurima bona tam ad Mensam Episcopalem quam Metropolitanam spectantia sumptuosissimo Processu recuperavi, injurias Cleri oppressi toties judicialiter vindicavi, eundem Clerum rudissimum olim ac intractabilem ad ordinem, humanitatem moresque mansuetos reduxi, schisma aliquoties reviviscens extirpavi, et sexcenta alia, (quae non ad meae sed Dei gloriam cedant) perfecit; tandem isti Dioecesi inutilis audio.

Subsumit Excellentia Vestra, a me variis modis vexatos esse Ecclesiasticos, adeo ut meum regimen diuturnius non modo non restituit necessariam tranquillitatem, verum magis magisque eam perturbat. Si habet ista ex relationibus quorundam Presbyterorum, mihi quoque, saltem tantum quantum simplicibus sacerdotibus, praebet fidei, referenti me cum nemine simili modo processisse evicturumque, si opus fuerit, ejusmodi allegationem meam testimoniis.

Super legalitate Administrationis DD. Coadjutorum controversiam non moveo, sed et mea non est illegitima usurpatio, prout testantur verba Sacrae Congregationis Decreti: « idque per modum provisionis, durante absentia Domini Metropolitanæ Russiæ ».

Quod attinet juris remediis munitos, mei quoque misereatur Excellentia Vestra, quia in quibusdam plurimi pro Actoribus ponuntur praeter voluntatem; imo sine scitu suo, propter augendum numerum contra Pastorem suum insurgentium.

(f. 314v) Accessum meum ad has regiones Excellentia Vestra utilem esse speravit, et non se fefellit. Omnia lenissime tractantur, plurimum indulgetur, aditus nisi iis forsân videtur difficilis, qui temerariam et invincibilem erga me diffidentiam memores debilitatum suarum praeseferunt, judiciales actiones ob inevitabilem sollummodo necessitatem et ad instantiam summe evidentemque injuriatorum aliquando absolvuntur, nam excedendo moderamen praesentibus circumstantiis omnino conveniens, tempus omne impendo pro subveniendis necessitatibus incarceratorum, expulso- rum, oppressorum, animo cadentium, pro non admittendis Disunitis captandis, ad ejusmodi effectum auxiliis, Procerum. Uti quidem brevi spero resolutionem a Generali Russico de Szyrkow super mandato Generalissimi Romansow, per Nobiles hujus Palatinatus a me rogatos obtento, quo mediante Presbyterorum meorum Berdyczoviae detentorum excarceratio demandata est, utrum conditionate vel non, ignotum est, sed postquam rescivero, non praetermittam deferre.

Dioecesi Lithwanæ invigilant Officialis unus Generalis et tres Surrogati; frequentes recipio informationes in optimo ibi omnia posita esse ordine, praeter duos Decanatus a Russia interceptos, Vicariatui Ill.mi Archiepiscopi Smolescensis per me commissos, ubi, uti ipse modo dictus Archiepiscopus refert, frequens ad disunionem transitus committitur.

Utrum illiquida cedant liquidis, praetereo silentio; hoc fas et aequum esse probe noscens, ordinem in articulis praescriptum probe servandum, nec non eum quem refert Instrumentum Delegationis in verbis: « postquam causa praetensionum definita vel composita fuerit, traditio jurisdictionis praescribitur »; fas et aequum esse habendam rationem dignitatis Excellentiae Vestrae, promittentis mihi antea in suis Literis: « praecedat cognitio et satisfactio praetensionum »; ut servatis servandis omnia peragantur bonae fidei in conventionem intransantium fas et aequum esse.

Persuasum sibi habeat Excellentia Vestra, me non inutilem esse Dioecibus, me non eo, uti deferor, procedere modo; et non solum videbit, uti semper curavi, suis responsurum consiliis, non obsistet desideriiis meis, verum etiam ejusdem, qua (f. 315) hucusque prosequutus sum, particeps ero benevolentiae.

Ad extremum si efficaciori vi pollent regendarum Dioecesium DD. Coadjutores mei, quam ego, sunt a me in adiutorium assumpti, ut me adjuvarent, consilia sua communicarent, non ut, me inscio, proprio motu agerent, aut, quod summam ingratitude sapit, e diamentro adversarentur Coadjuto huic, qui etiamsi cesserit Dioeceses, adhuc circa jura Metropolitana conservatus tenetur invigilare operibus ipsorummet Coadjutorum suorum.

Pristinae me benevolentiae committo

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris singularissimi,
 Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
 totius Russiae (mp.)

Radomysliae, die 4 Septembris 1773.

fol. 314: Ill.mo Domino Nuntio Apostolico.

213.

Radomyslia, 11. IX. 1773.

De liberatione presbyterorum incarceratorum Berdyczoviae, de concordiae cum Coadiutoribus executione, etc.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 317-318.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
 Patrone Colendissime.

Minime dubito in praesenti Delegatione, ex permissione Ministri Russici, liberationem Praebyterorum nostrorum subsecuturam, praesertim cum idem appromissum esse perceperim, prout antea retuli Excellentiae Vestrae, a Generalissimo Russico Comite Romancow; utinam tam facili negotio redintegratio Ecclesiarum Ukrainensium, quod assiduis precibus a Deo Ter Optimo maximo exposco, succedat! Ad ejusmodi effectum, spero, non mediocriter profutura sunt Officia Excellentiae Vestrae, tum expositionem Ill.mi Episcopi Nostri Helmensis Augustissimo Caesari, visitanti hujus Regni oras, non tam pridem personaliter factam, et in scriptis porrectam.

Iudicium compromissoriale in praefixo termino reassumptum esse, annexa praesentibus instantia partis adversae comprobatur, in qua videbit Excellentia Vestra (f. 317v) primo effiguratas praetensiones ad immensum ascendisse, pro peracto itinere per Delegatum, quas ego non causavi, expensas positas esse; postremo, per quod meo honori multum detrahitur, D. Coadjutorem Metropoliae ante victoriam triumphum canentem, ac si haberet

prae manibus media avertendae calamitatis, ex circumstantia oppugnatae in Ukraina Religionis cedendum sibi regimen spirituale praetendentem.

Cognovit Excellentia Vestra ex anterioribus literis meis aliquoties repetitis, quanti duco suam erga me propensitatem animi, magnique ducere tota vita mea non desinam, cognovit me justa petiisse et petere; permittat res peragi methodo praescripta, et videbit suis (f. 318) desideriis, Sanctae Sedis Apostolicae voluntati brevi satisfactum esse. Interea maneo cum profundissimo cultu

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris mei singularissimi, Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Radomysliae, die 11 Septembris 1773 anno.

fol. 317: Excellentissimo Domino Nuntio Apostolico.

214.

Grodek, 13. IX. 1773.

De liberatione incarceratorum Berdyczoviensium, de transmissione foundationum documentis, de cedendo regimine in favorem Coadiutorum.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 91, fol. 316.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine,
Patrone Colendissime.

Pro duabus epistolis absque expressione diei, quo dabantur, et tertia sub die 9 Septembris ad me ab Excellentia Vestra scriptis reverenter rescribo. Infinitae sint gratiae misericordiarum Patri, quod clementer respexit Presbiteros unitos Berdiczoviae detentos, ad quos adjunctam epistolam transmisi. Vestrae quoque Excellentiae multum debeo pro adhibita cura favore tam Ukrainensium negotiorum quam Albae Russiae; devictissimum me habeant exoratore illi omnes, qui ad obtinendam liberationem incarceratorum, redintegrationem Ecclesiarum, nec non conservationem jurium ecclesiasticorum in avulsis Regni partibus collaborarunt. Excarceratio semicerta, cum idem, uti jam alias retuli, sit appromissum a Comitae Romanzoff, redintegratio vero ut tandem eveniat orandum est Deo.

Ad colligendas notitias de foundationibus Ecclesiarum nostrarum pro posse omnem curam adhibebo, facilique negotio probabitur ante 1717 annum neque quartam partem Ecclesiarum ad praesens reperibilem in Archidioecesi Kijoviensi extitisse.

Quoad cedendum regimen spirituale, rescripsi in anterioribus literis meis, quas jam pervenisse ad manus Excellentiae Vestrae minime dubito,

in quibus luculentissime (f. 316v) explicavi, me studere diligentissime effectuandae Concordiae, in virtute ejusdem omnia petere, temporalibus controversiis non adeo me esse intentum, ut spiritualibus easdem praeponerem unicumque exposcere ut servatis servandis omnia peragantur, et ad eum finem occupatus praesenti itinere Vladimiriā, pro praefixo termino, hocce responsum tardavi.

Relatum mihi est a quibusdam suppressendum esse Alumnatum Vilnensem, quod ne eveniat, pro posse curet Excellentia Vestra; magnum enim inde habebat emolumentum et habet Ruthena Ecclesia.

Grodeci, die 13 Septembris 1773.

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae

addictissimus, humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp.)

fol. 316: Excellentissimo Domino Nuntio Apostolico.

215.

Volodimiria, 13. IX. 1773.

De decreto Iudicium Compromissorialium in causa iurisdictionis et de difficultatibus et praeiudiciis Metropolitanae.

APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, vol. 11, fol. 314-315.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini,

Domini, Patroni Gratosissimi.

Praesagiit mihi mens mea, quae in epistola ad Eminentias Vestras, die 29 Augusti scripta, succedenda in negotis cum Coadjutoribus, timuitur. Ex Ukraina, sentiens de Conventu Ill.morum Iudicum Compromissariorum pro medijs hujus Mensis Vladimiriā habituro, in quo Sententiam arbitramentalem pronuntiare debebant, festinavi huc condescendere in Persona, ubi inveni Decretum, per quod dicti Ill.mi Arbitri non solum postulationibus meis per Plenipotentes expositis deferre noluerunt, verum, quod indignius, aperte injustum statuere non haesitarunt. Propositae enim alias erant ex parte mea instantiae, ut Ill.mi Arbitri non prius ad tradendum Literas Patentes Jurisdictionis exercendae DD. Coadjutoribus accederent, donec per Ipsos, juxta Regestus, specifica et omnino distincta producenda, perceptarum et expensarum sub tempus Administrationis practicatorum, exacta ratio redderetur; Sed hoc deposito, et calculo declinato, dicti DD. Arbitri Instrumenta, respectivae Administrationis Dioecesium in manus Ill.morum Coadjutorum consignarunt, iisdem ab omni Clero et populo obediendum esse dixerunt, et sic me privum omni Spiri-

tuali Regimine relinquerunt, absque eo ut satisfactio, vel in parte aliqua, per DD. Coadjutores prius fieret. Non hic tamen finis oppressionis mei; statuitur ulterius ut vi punctorum concordiae stipulata annua Pensio Episcopatus Vlodimirien. non jam in liquida pecunia 10000 Florenorum Polon. exsolvatur, sed ut Bonis ibidem specificatis ad Mensam Episcopatus spectantibus haecce exolutio compensetur; quae provincia, tum quia non realiter prout in Decreto enuntiatur in Proventibus sunt liquidata, et ideo longe superant praefixam summam, tum quod pro mea Residentia, utpote in loco magis salubri sita plus prae alijs sint commoda, nullatenus relinquenda esse Domino Coadjutori censeo, daturus potius determinatam pecuniam decem Millium Florenorum Polonical. si id post factas exacte Administrationis rationes dicto Domino Coadjutori deberi comprobabitur.

Non omiserunt praeterea Domini Arbitri in eodem Decreto addere, quod volentes simultanee punctum reddendi per Coadjutores Calculi decidere, illud praestare non valeant, quia ego per intensas dilationes Judicijs ipsorum decisionem declinare studeam. In hoc ad praecedentem epistolam me refero, et dico nunquam me de hoc diffugio cogitasse, producam realia Regestra reddituum Bonorum, producam injurias, et damna mihi causata, exhibebo quorum compensationem pro bono et utili, non meo sed Ecclesiae, repetere non negligam; Deus Bone, non cognosco quid sit, quod me a tot tantisque annis prius non prorsus inutilem in Christi Vineam Operarium habitum, nunc in declivio dierum incusant tantorum, ad quae depellenda (f. 315) vel ipsa modestia non me sinit respondere, spem duntaxat colloco meam in altissimo ac integerrimo Judicio Eminentiarum Vestrarum, quibus has supplices submitto, exoro: porrigite manum misero, date opem undique afflicto, atque huic causae, quae est Justitiae oppressae praebere adjutorium et levamen non dedignemini. Ita precatur

Eminentiarum Vestrarum

obsequentissimus et obligatus Servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. Metrop. totius Russiae
1773 die 16 Mens. 7bris, Vladimiriæ.

216.

... 20. IX. 1773.

Protestatio Metropolitanæ contra decretum Iudicum Compromissorialium sibi gravosum.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 91, fol. 322-325.

Traductio Manifestationis per Illustrissimum Metropolitanum factae, die 20 Septembris anno 1773-tio.

Comparens personaliter Ill.mus Felicianus Wolodkowicz Archi Episcopus Metropolita Kijoviensis, Haliciensis et totius Russiae, Protothronus Episcopus Vlodimiriensis et Brestensis, Archimandrita Kijovopeczarensis. Sentiendo se gravatum per Decretum Iudicii Compromissorialis, sub die 15 Mensis et anni currentis, ab uno ex Ill.mis Compromissariis, hoc est solo Ill.mo Maximiliano Ryllo,²⁶⁰ Episcopo Helmensi publicato, praeter alia in Foro competenti proponenda gravamina haec etiam quod iudicium memoratum praecipue, et principaliter cognoscendum, moderandum et disjudicandum seu arbitrandum praetensiones Ill.mi Manifestantis ex duobus capitibus: hoc est, tam de summis pecuniariis, crescentiis, et aliis mobilibus, ex remanentibus antiquis emanantibus, et ab Ill.mo Leone Szeptycki, Leopoliensi in Bonis Metropolitanae, Antonino Mlodowski Brestensi, Episcoporum, in Bonis Episcopatus Vlodimiriensis, circa occupationem Administrationis anno 1768, die 5ta Octobris, uti testantur possessiones in Castro relatae, extorsis et usufructuatis, quam etiam seorsive per totum tractum Administrationis ex omnibus gr.liter proventibus, exactionis, et Ill.mo Manifestanti jus certum et oculare, in praerogativae suae ad easdam habens, non restitutionis emanantis. Pariter tam ex potestate electionis, sicut et instrumenti Delegationis, sub die 22 Mensis Iunii anno 1773, ab Ill.mo et Excell.mo Domino Garampi Archiepiscopo Berytensi, in Regno Poloniae et Magno Ducatu Nuntio editum, supramemoratorum praetensionum disjudicationem, seu compositionem praeprimis, et principaliter praescribente in se habens, mutato hoc suae electionis, et deputationis, ac etiam praescriptionis (f. 322v) et iustitiae ordine, causam principalem pro qua disjudicanda praesens compromissum assignatum ulteriori processui ordinario relinquendo, et nullum modum, aut securitatem ac debitam satisfactionem praestando cognitis praetensionibus suis, non disponendo, *sub ptaetextu incitamentorum spiritualium, sex Villas ad Episcopatum Vlodimiriensem spectantes, hoc est Wielkie Biskupicze, Biskupiczki male, Piaty, Korowe, Woronne, Rokitnica, Hruszowka*, ad summam florenorum Polonicalium 10242, gross. 14, solidos 2, designavit, contra expressam importantiam, quae inventariis probabitur, vix non ad medietatem diminuit, et liquidavit, in possessionem Ill.mo Antonino Mlodowski tradere statuit, et decrevit. De his itaque et aliis gravaminibus, sicuti etiam de contraventione articulorum Concordiae in memorato Decreto reperibilibus, Ill.mus Manifestans, ubi de jure, volens iudicice agere

²⁶⁰ Maximilianus Ryllo, Episcopus Chelmensis (1759-1784) et dein Peremyshliensis (1785-1793). Cfr. opus J. Choma, *Maximilianus Rylo, Episcopus Chelmensis et Peremyshliensis* (1759-1793), Romae 1953.

ad interpositam jam alias judicialiter a tali decreto appellationem se refert, et non recedit, uti etiam proprietati, requisitioni iustarum praetensionum suarum non derogando, sed solum singulariter demonstrando ex parte sua facilitatem, praevia adinventione mediorum et modorum certae et securae satisfactionis in praetensionibus suis ad mutuam etsi absque obligatione, et ex sincera tantum bonitate suae promissae, et assicuratae Ill. mis Coadjutoribus portionis satisfaciendae et hoc ipso assecurandae, adeoque et occasiones omnes violentorum passuum, et sub praetextu toties memorati Decreti, in possessionem praefatarum villarum intromittendo, amovendo (f. 325) etiam modum excusationi violanti leges, quae decrevit, pendente appellatione nihil esse innovandum, tollendo ex vi legis, Dignitati suae ad Bona Episcopatus Vladimiriensis serven. et per concordiam conservatis in locum memoratarum Villarum Biskupic Wielkich, Piaty, Karov, Biskupiczek Malych, Worony, Rokitnice, Hruszenki, Proventum suum inventariis jam pridem liquidatis summam floren. Polonic. 10242, gr. 14, solid. 2, notabiliter superatis, pro re et interesse Ill. mi Antonini Mlodowski Episcopi Brestensis, Coadjutoris Vladimiriensis, in parata pecunia summam totam 20000 Floren. Polonic. efficientem in Officio praesenti Burgrabien. Vladimiriensi in moneta alba, hoc est rublonibus Moschoviticis Ill. mus Metropolita totius Russiae modernus Manifestans numeravit, et praesentavit, et praefatam summam in eodem Officio Burgrabiali Vladimiriensi reponere voluit, quam summam, quoniam Officium Burgrabien. Vladimiriense ob non securum locum tam conspicuam summam suscipere renuit, ideo et ob has rationes Ill. mus Manifestans praefatam summam sub sigillo Castrensi Vladimiriensi in cera rubra expresso ad se retro recepit et eandem retinere in realitate et totalitate eousque, donec in praetensionibus suis ita notabilibus cum Ill. mo Antonino Mlodowski, Episcopo Brestensi, et Coadjutore Vladimiriensi, per Decretum certus et satisfactus non erit, assecuravit. Atque ideo in praemissis geminatis, repetitisque vicibus idem Metropolita totius Russiae coram Officio praesenti et Actis Castrensibus Vladimiriensibus, salva praesentis Manifestationis melioratione, et augmentatione, quatenus opus fuerit, protestatur, et manifestatur.

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolita
totius Russiae (mp.)

217.

Dubno, 30. IX. 1773.

Ultima, ut videtur, assecuratio data Gubernio militari rossiano pro liberatione presbyterorum incarceratorum Berdyczoviae.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 33, fol. 299.

Copia Reversalis ab Ill.mo, Excell.mo et Rev.mo Domino Metropolitano Kijoviensi Ill.mo Generali Szyrkow dati.²⁶¹

Ego Felicianus Wolodkowicz Archiepiscopus Metropolita totius Russiae satisfaciendo requisitioni Ill.mi de Szyrkow, Generalis majoris Exercituum Russiae Imperatricis, Equitis Ordinis Sancti Stanislai, intuitu eliberationis ex detentione Presbyterorum meorum in Fortalitio Berdyczoviensi sub aresto Commendae Rossicae existentium, do meum reversale in sequentibus punctis,

1mo. Quod Presbyteri ab aresto Berdyczoviensi liberati quiete vivent, nec quidquam non unitis Presbyteris adferent molestiae ad ulteriorem inter spirituales resolutionem.

2do Quod quemadmodum nunquam fomentabant, ita et modo ulla seditiones statuti suo contrarias facient.

3tio. Quod ex se ad perturbationem illicitam ullam nemini dabunt occasionum, et si quis eorum de hoc accusatus et convictus extiterit, de tali omnem satisfactionem facere spondeo.

4to. Si quis ex his modo liberatis unitis Presbyteris requisitus fuerit ad Superiorem Commendam Exercitus Rossiaci et signanter ab Ill.mis Generalibus ad Commissionem inter Gentes, talem statuere appromitto.

Quod reversale propter meliorem fidem manu mea propria subscribo, et solito sigillo communito.

Datum in Dubno, die 30 Septembris 1773 anno.

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolita
totius Russiae.

218.

Dubno, 30. IX. 1773.

Idem argumentum, alia tamen versio vel potius traductio paulum differens.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 33, f. 300.

Traductio Literarum Reversalium ab Excell.mo ac Rev.mo Archiep. po Metropolitano totius Russiae, Ill.mo Generali Russico de Szyrkow Dubnae datarum.

Ego Felicianus Wolodkowicz Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae conformando me desiderio Ill.mi D.ni de Szyrkow, Generalis Majoris Exercituum Russico-Imperialium, Equitis Ordinis S. Stanislai,

²⁶¹ Cfr. de his tractationibus supra et secundum *Indicem nominum et rerum*: Szyrkow, Berdyczovia etc.

fine liberandorum ex detentione Presbyterorum meorum in Fortalitio Berdiczoviensi sub custodia Praesidii Russici existentium, do meas Reversales literas in sequentibus articulis:

1mo. Quia Presbyteri ex aresto Berdiczoviensi liberati pacifice vivent, et nullam Orthodoxis Presbyteris exacerbationem patrabunt ad ulteriorem resolutionem inter Spirituales.

2do. Quia uti nunquam fomentarunt plebcm, ita quoque ad praesens nullas fomentationes statui suo non competentes facient.

3tio. Quia ex se ad iurgia non juridica ullam nemini dabunt occasionem; et si quis ratione praemissorum accusatus et convictus fuerit, de tali omnimodam satisfactionem administrare appromitto.

4to. Si quis horum, ad praesens liberatorum, unitorum Presbyterorum praetensus fuerit a superiori Praesidio exercitus Russici, et nominatim ab Ill.mis Generalibus pro Commissione inter Gentes, talem sistere appromitto.

Dat. Dubnae, die 30 Septembris J. N. Cal. 1773 Anno.

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Archiep.pus Metrop.
totius Russiae (mp).

219.

Volodimiria, 1. X. 1773.

De concordia cum Coadjutoribus perficienda, difficultates et praeiudicia, nec non praestolatur decisio Sac. Congregationis de Prop. Fide.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi, Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 11, f. 330-331v.

Eminentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Binas quas dedi ad Sacram Congregationem epistolas, unam sub datt. 29 Mensis Augusti, alteram 16 Septembris praesentis anni, pervenisse indubie credo ad manus Eminentiae Vestrae tanquam Primi Praesidis Sacratissimi illius Tribunalis. Unde non repeto hic gravamina praecedenter expressa, quae per Judicium compromissoriale in Causa cum Coadjutoribus me perferre memo non videt. Conquestus sum de istis coram sacra Eminentiarum Suarum Congregatione et pro ope atque auxilio tanquam ad supremum et unicum meum asyllum supplices dirigere non intermisi, sperando quod pro ea et maturitate et justitia, qua singulis hocce illibatam Collegium providere solet, me quoque, tandem aliquando, ex abyssu tribulationum eripere non dedignabitur. Hic duntaxat, o Eminentissime Domine, intimum cordis dolorem aperio ingemiscens in sortem meam quae tulit, ut apud Sanctam Sedem melius collocari non promerear

(f. 330v), sed juxta ea quae inique infensi me insimulant condemnatus existam a tempore ac in Cathedram Metropolitanam per benignitatem Sanctae Sedis ascendi, omnes vires intendere studui, ut exemplo religiosissimorum in hac Sede meorum Praedecessorum corresponderem; neque certe conscientia mea me arguit de intermissione in parte aliqua Pastoralis officii. Certavi etiam semper pro S. Ecclesia, Sanctaque Catholica Fide, Deus scrutator cordium novit, quia vero zelo, et mente sincera propagandae gloriae ipsius, unde et odium aequae ac alii boni ab adversariis Romanae Ecclesiae libenter pertuli, in hoc solo inferior, atque ideo infeliciores istis, quod si furor hostium in me quoque exercitus fuerit aequalis, modus solus in ultione extitit dispar, sed quanto libentius perferrem etiam squallidissimos pro S. Romana Ecclesia captivitatis carceres, in locum quod etsi hic indies cum hostibus decertem, solerter insimul invigilando necessitatibus Gregis Christi, non aliud tamen iudicium comparare soleam, praeter inutilis et minus digni Pastoris; quod non difficulter mihi persuaderem, considerando illud Apostoli dicentis: onus Episcopi esse onus nimis grave, atque adeo humeribus ipsorum Angelorum formidandum. Verum sciens ex parte altera zelum hunc Adversariorum meorum esse cupiditatem mundanam, quam tempora ista obsecundari sinunt potentibus (f. 331) protectionibus, non inducar ad id nisi ex suprema Sanctae Sedis resolutione. Et cum in Eminentia Vestra, prout primo Sacri hujus Tribunalis Praeside sortem meam collocatam agnoscam, ad quam jam quaerelas meas detuli, clamare non desino pro salubri ope tam indigne afflicto, liceat exponere rationes defensionis meae. Iudicet Deus Causam istam, iudicabis, o Eminentissime! si unum Praesulem, munus Episcopi quadraginta et ultra annis gerentem, tam acerbe gravare in ultimis vitae annis liceat? Ita lachrimabundus expeto et cum devoto Sacrae Fimbriae osculo maneo.

Eminentiae Vestrae obsequentissimus et humillimus Servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolita
totius Russiae (mpr).

220.

Volodimiria, 3. X. 1773.

Documentum commissionis in administrationem cuiusdam ecclesiae paroecialis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 285.

Felicianus etc.

Reverendo in Christo Patri Leoni Stetkiewicz, actuali Presbytero, salutem in Domino. Occurrendo quatenus gloria Dei in Ecclesia Parochiali Didkowscensi Decanatu Ovrucensi sita et post obitum R. N. N. va-

care non cesset, et animae Christi Fidelium in spiritualibus suis necessitatibus detrimentum aliquod non patiantur, Dilectioni Tuae eandem in curam et administrationem dare, commendare et committere constituimus, prout praesentibus Literis Nostris damus, commendamus, et committimus in Nomine Domini, obligando Dilectionem Tuam, quatenus indilate ad suprafatam Ecclesiam et Parochiam Didkovicensem condescendat, suppellectiles ejusdem, et omnia mobilia regestret, atque Regestra copiatum ad Nos transmittat. Parochianis vigilanter, diligenter et prudenter inserviat, Sacramenta administret, Verbum Dei depraedicet, et omnibus dictorum Parochianorum necessitatibus succurrere studeat, ita ut non modo Iudici Supremo Christo in die extremo, verum etiam et Nobis Pastori in casu negligentiae strictam reddat rationem, et non sit punitus. In quorum etc. Datum Vlodimiria, in Residentia Nostra, die 3 mensis Octobris, v. s., 1773 anno.

FELICIANUS, Archiepiscopus Metrop. totius Russiae (L.S.)

221.

Volodimiria, 7. X. 1773.

Transmittit quaedam documenta spectantia concordiam suam cum Coadiutoribus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 290.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine,
Patrone Colendissime.

Multitudo rerum exponendarum ad praesens Excellentiae Vestrae cum acciderit eodem tempore, quo undique angustiis premor, adeo ut neque omnibus sine mora satisfacere, neque suis humanissimis epistolis, anteriori sub die 16, posteriori sub 30 Septembris, uti vellem et decet, rescribere queam, non me culpabilem existimari permittet, si reservata uberiori expositione pro futura immediate postea illa nude enumeravero.

1.mo Transmittam copiam Reversalium per me datarum praeterita septimana Dubna Generali Russico de Szyrkow, quibus mediantibus lucratus sum excarcerationem Presbyterorum meorum Berdiczoviae detentorum.

2.do Copiam Literarum Eminentissimi Cardinalis Vice Comitiss, Nuntii Viennensis, et Excellentissimi Comitiss a Pergen, quibus requiror ad demandandum omnimodae executioni Decretum suppressionis Ordinis Jesuitarum.

3.tio Nuntiabo, quidnam audivi evenisse cum decanatibus Albae Russiae, Vicariatui Ill.mi Archi Episcopi Smolenscensis (f. 290v) per me ad semestre commissis.

Postremo, maximam partem promissae epistolae conficient gravamina seu ratio procedendi mecum in Compromisso (non me pudebit dicere, et evincam, quae assero) subdolo. Consequenter, postquam evicero me non violenter procedere, me conformare articulis initaе concordiaе sacrosanctae, parere altissimis mandatis Sedis Apostolicae, non mea, sed eorum erit deterior conditio, qui aliter operantur, aliter referunt.

Quae antequam transmisero, maneo interea cum maxima veneratione Ill.mae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris singularissimi

Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp.)

Vladimiriae, die 7 Octobris 1773.

fol. 290: Excellentissimo Domino Nuntio Apostolico.

222.

Volodimiria, 12. X. 1773.

Refert de liberatione incarceratorum Berdyczoviensium, de suppressione Sac. Jesu, de decanatibus Albae Russiae, de concordia in iudicio Compromissoriali et de praeiudiciis sibi illatis amplissima relatio.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 91, fol. 302-303.

Illustrissime, Excellentissime et Rev.me Domine,
Patrone Colendissime.

Quae summarie duntaxat in immediata epistola mea²⁶² adnotavi, eadem uberiori expositione Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae deferendo, relationem ab illis ordior, quae a me non pridem acta sunt Dubnae in negotio Presbyterorum, Berdyczoviae incarceratorum. Precibus meis et Dignitariorum Palatinatus Kijoviensis excitatus M. D. Karnicki, Regentis Sigilli Majoris Regni filius, officium Delegati ad Comitem Romansow Exercitus Russici Supremum Ducem peregit, unde postquam redierit, literis suis intimavit mihi habere se expeditionem ad Generalem Szyrkow pro dimissione Presbyterorum incarceratorum invitavitque quatenus mea praesentia Dubnae, ubi nunc Generalis Szyrkow fixit locationem, adessem; nulla intermissa mora arrepto Dubnam itinere et invento ibi Generali Szyrkow, circa humanitatis officia, continuas meas pro excarceratione renovavi expostulationes. Ad effectuantandam dimissionem non adeo se difficilem praebuit dictus Generalis, frustare nihilominus intendebat expec-

²⁶² Cfr. supra nr. 221; de dat. Volodimiria, die 7 octobris 1773.

tationem nostram requisitione, quatenus Reversales in eo verborum tenore, in quo easdem mediantis literis meis adhuc Radomyslia datis Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae communicavi, subscriberem. Dei tamen optimi adjutorio, mediante Celsissimi Principis Sanguszko Promareschalci M. D. Lithvaniae aliorumque Dignitariorum apud eundem hospitantium interpositione aliisque opportunis adhibitis mediis effeci tandem quod requisitas Reversales in contextu, prout annexa copia demonstrat, acceptavit D. Szyrkow et mandatum suum pro excarceratione Berdyczoviam direxit, circa quod et ego Aulicum meum misi atque Rev.mo Wyhowski, Officiali meo Kijoviensi disposui, quatenus huic excarcerationi assistat et dimissos Presbyteros Radomysliam secum conducat, ex bonis mensae Metropolitanae alendos. Expecto quotidie de effectuatione horum omnium certam notitiam, Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae in tempore communicandam. Nunc autem enixissime rogo quatenus officia sua ubi intererit interponere non gravetur, ut quam primum fieri poterit designetur Commissio in ordine ad reintegrandos illos miseros Presbyteros in Beneficia, de quibus sunt violenter a non Unitis expulsi.

De suppressione Ordinis PP. Soc. Iesu vix publicus ad me pervenit rumor, recepi illico literas Em.mi Cardinalis Nuncii Apostolici Viennensis et seorsive Excellentissimi Comitissae a Pergen,²⁶³ quibus requiror ad exegendam Bullam suppressionis. Ex contextu clausulae in literis dicti Em.mi Cardinalis circa finem expressae occasionem sumpsit interim eidem Em.mo Cardinali significare quod nec minima pars Dioecesium mearum transierit (f. 302v) in Ditionem Austriacam, quod si vero hoc non obstante Em.mus Cardinalis praemissa mandata renovabit, in talibus et similibus circumstantiis quidnam sim acturus, providam et determinatam procedendi regulam ab Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma praescribi cupio. Porro, pro pleniori informatione exemplaria utriusque epistolae supra citatae in copiis transmittito.

Ab Ill.mo Archiepiscopo Smolenscensi,²⁶⁴ cui ad sollicitas Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae requisitiones duorum Decanatum in hac Albae Russiae parte quae in ditionem Russicam transiit sitorum,²⁶⁵ ad meam Archi-Dioecesim Metropolitanam spectant, curam et regimen mediante instrumento ad semestre duntaxat emanato commisi, nullam habeo notitiam

²⁶³ Gubernator Leopoliensis in Galicia, sub dominio Austriae, ad quem pertinebat episcopus Leopoliensis et Peremysliensis, in iurisdictione Kioviensi.

²⁶⁴ Agitur de Josepho Lepkovskyj, Archiepiscopo Smolenscensi (1771-1778).

²⁶⁵ Decanatus dioecesis Metropolitanae, quae in dominium Moscoviae venerunt, Polonia exdivisa, erant Decanatus Rohaczewiensis districtus in Bielarusja, Rzeczycensis et Homelscensis.

et referibilitatem, neque post elapsum semestre tempus ulteriorem facultatum requisitionem. Quam ob rem cum binatis his circumstantiis cum literis Rev.mi Proto Archimandritae de Zydyczyn, die 14 elapsi ad me scriptis et deferentibus quod Ill.mus Smolenscenses promulgat se habere bina Sacrae Congregationis Propagandae Fidei Decreta, iurisdictionem ipsi supra alte memoratos duos Decanatus irrevocabiliter et independenter a me, Metropolita, approbativa incunctanter fidem adhiberem, nisi persuasus essem me inscio et inaudito talia practicari et hujusmodo dolo atque fraudi patrocinium concedi non posse. Nihilominus, ut omnem deponam anxietatem, Excellentiam Vestram Ill.mam Rev.mam rogo, ut me hac super re certiore reddere faveat, et quatenus Ill.mus Smolenscensis hujusmodi passus in praejudicium jurium Metropolitanorum facere intenderit, a tali promotione, inhaerendo promissis suis, per literas ad me datas, antea stipulatis, Officia sua subtrahat, quinimo ut idem Ill.mus Smolenscensis hanc meam erga se benevolentiam grato mereatur animo, nec non juxta facultates ultra non excedendo regimen exercent, referentiam et correspondentiam in gravioribus observet atque elapso termino pro ulteriori facultatum prorogatione recurrat. Siquidem securitati et legitimitati actuum delegatae suae iurisdictionis aliter prospicere poterit, commonere et insinuare non dedignetur, alias ad revocationem earundem facultatum procedere debebo.

Quod attinet progressum causae nostrae in iudicio Compromissoriali, exposui per anteriores literas meas rationes contra gravaminosum Decretum memorati iudicii die 15 elapsi publicatum, proinde easdem ad praesens non repeto. Ad haec recepta ab Excellentia Vestra Illustrissima Rev.ma resolutione, quatenus apud Illustrissimos Iudices Compromissarios quaererem remedia, primo tentavi restitutionem Causae in integrum et hac denegata, proposui quatenus istius Decreti executione et interposita ab illo appellatione tantisper in suspensio manente ad extra iudiciales controversias deveniremus, amicabile Compositionis, quae longe convenientius cum spiritu Concordiae et mente Sanctae Sedis Apostolicae cohaereret, eventum expectaturi. Sed haec facilitas et lenitas mea parti adversae et uni ex Compromissariis, cui praesertim uti pro mea parte nominato id vel maxime incumbere acceptare, non placuit, imo intendebat omnino me ad acceptationem sui Compromissorialis Decreti adigere et eo fine sparsit rumorem (de quo adhuc Dubnae existens a plurimis fide dignis audivi), quod nisi in praemisso Decreto acquiescerem, (f. 303) ipsemet in persona sequestratus forem, nec non coram meo Nepote idem repetendo quasdam literas Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae in probationem demonstrabat, atque in his non persistendo comminatus est mihi censuras, si ab interposita appellatione non recederem. O, miseram conditionem

meam! Jus naturae unicuique permittit a Decreto gravaminoso iudicum etiam ordinariorum ad altiora subselia appellationes, mihi vero Compromissarius, a me electus, id interdicit. Bulla Caenae Domini iudicibus etiam saecularibus impedire recursum ad Sanctam Sedem Apostolicam prohibet, in mea vero causa eundem impedire conatur Ecclesiasticus. Praxis iudiciaria legibus Ecclesiasticis innixa iusta etiam de causa et contra personas inferioris conditionis caute in extendendis Censuris procedere iubet, mihi autem, Metropolitanae, nullo svadente iusto motivo, statim et subito comminantur censurae et loco mandati executivi sequestratio personae proponitur. Istis ne mediis causa praesens ad desiderandam et opportunam combinationem perduci et finis controversiae, qui aliter nisi lucrata animorum Concordia imponi nequit, obtineri poterit? Num ex tali progressu aliquid aequi et boni pro mea parte sperare debeam, prudentissimo iudicio Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae committo. Porro meam hac super re aperiendo mentem, non aliter in bona armonia causam hanc terminandam et desideriis meis, solam iustitiam unice quaerentibus, satisfaciendum fore existimo, nisi electionem iudicis pro parte mea compromissarii revocavero. Praeter memoratam censurarum et sequestrationis comminationem actus etiam iudicii Compromissorialis recenter, videlicet sub die 4 currentis, iam post interpositam a me appellationem, attentus, praebet mihi pariter occasionem non recedendi a proposita contra Compromissarium meum exceptione; quidquid enim in hoc actu adversi consitutum est, horum omnium Authorem fuisse Compromissarium meum, ipsemet Notarius istius compromissi, contra quem protestationem feci, super eo quod ausus est subdole et praeter mentem meam in actis inscribere comparitionem nomine meo, explicando se praebuit testimonium. Certum equidem est me eadem die humanitatis gratia Ill.mos Compromissarios visitasse et in communicationem ab adverso productorum extrajudicialem, ut supra exposui, non adeo difficilem se praebuisse, iam vero in controversias iudiciales, pendente appellatione, intrare noluisse, imo plenipotentibus meis, quos ad hocce pertractandum negotium deputavi et quibus nomine meo agere conveniabat, ut ex iisdem actis constat, recedere demandasse. In reliquo haud praetermittere possum quin Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae referam motivum ex quo per recens Decretum contumaciale ad exsolvenda quinque millia Marcarum Polonicarum ad ususque per Excellentiam Vestram Ill.mam Rev.mam benevisos disponenda et litis expensas hucusque erogatas a parte (f. 303v) adversa eidem bonificanda condemnatus extiti. Ex Publico rumore iam id constat quod Ill.mus Compromissarius meus, cum non pridem Varsaviam iter arripere intendebat, accepit ab Ill.mo Episcopo Leopoliensi, Coadjutore meo in Metropolia, Hungaricales centum, cum ea conditione, ut si quid pro parte Ill.morum Coadjutorum

favorabilius effecisset, praemissa quantitas summae dono ipsi cedere debuisset, alias ad exsolutionem praedictarum centum Hungaricalium, tanquam mutuo acceptorum, obligatus esset. In omnem itaque eventum ut liber esse posset a restitutione praedictae summae Ill.mo Leopoliensi procuravit alte dictum Decretum, quo mediante adjudicatis expensis litis compensare vel acquisito aliquo sibi ad Marcas jure, per transfusionem ejusdem juris debitum evadere posset. Sed utrum licita et honesta sit talis agendi ratio, similiter prudentissimo Excellentiae Vestrae Illmae Rev.mae judicio relinquo. Ultra haec haberem plura adhuc motiva, quae mihi omnino suadent, in fundamento juris communis, Illustrissimum Compromissarium meum excipiendi, sed ea, ne Excellentiae Vestrae Illmae Rev.mae longiori expositione taedium pararem, praetermitto, persuasus existens quod et praemissa, etiamsi ordinarius esset Iudex, multo magis Compromissarius abunde sufficiant. In reliquo maneo cum propensissimo cultu et veneratione.

Vladimiriae, die 12 Octobris 1773 anno.

Illustrissimae, Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris mei singularissimi

Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae (mp).

Insuper Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae supplico, quatenus Ill.mum Coadjutorem Metropoliae commonere dignetur, ut Archivum Documenta ad Bona Mensae Metropolitanae Ucrainensia sc. regulantia restituat; a plurimis enim motam sibi habeo litem et nisi Documentis me defendam, Patrimonium Christi magnam patietur jacturam. In ipsis Iudiciis Confoederationis Varsaviae aliquot instituae sunt causae et Documenta haerent apud Ill.mum Coadjutorem, quem multoties super eo requisivi, nullum tamen recepi effectum.

223.

Volodimiria, 31. X. 1773.

Citatio cuiusdam presbyteri ad Iudicium ordinarium.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 313.

Felicianus etc.

Adm. Rev.dis etc. salutem in Domino. Mandamus vobis in virtute Sanctae Obedientiae, et sub excommunicationis paena, quatenus unus ex vobis, ad instantiam Reverendissimi Domini Alexandri Kizikowski, *Officialis Nostrae Vlodimiriensis*, Decani Kowelensis, Praepositi Horodiscensis, in assistentia Iudiciorum Nostrorum Instigatoris principalis Actoris, ac-

cedendo personaliter Reverendum Ioannem Piwnicki, Parochum Ecclesiae S. Michaelis Niesuchoviensis, illum hac Nostra Citatione, una pro tribus, ac peremptorie citet, quem et nos citamus, quatenus coram Nobis Iudicioque Nostro *Ordinario Vlodimiriensi*, aut ubi feliciter in Domino cum Curia nostra commorabimur, personaliter, legitime ac peremptorie, die vigesima ab intimatione praesenti numerando (Quos ipsi pro tribus canonicis monitionibus et termino peremptorio assignamus) compareat, ad videndum et audiendum, quia ipse, caeca contra auctoritatem Nostram malitia jam pridem occupatus, ac id sibi pro delicto non reputans, contra omnem justitiam (quia nullam purgationem sui legalem monstrabit) ausus est, et praesumpsit, *arrogato sibi quodam Surrogati officio, Rev.mum Actorem Officiale nostrum* ad se iudiciumque suum citari facere, citatumque, contra omnem Juris praxim, ac si potestati inobedientem, ab exercitio Ordinum suspendere, atque idem suum Decretum per (f. 313v) extractum edere, editumque publicare, sicque actorem opprimere, nec non alias in processu causae deducendas inconvenientias facere. Qua propter illum paenis, contra tales delinquentes a Lege praescriptis, afficere, pro usurpatore incompetentis sibi officii surrogatialis agnoscere, talemque usurpationem in futurum inhibere, et ea quae justitiae erunt, decernere caeteraque etc. certificantes etc. Monemus insuper omnes, ne supra expressum Ill.mum Actorem pro suspenso habeant, et agnoscant, neque ulterioribus progressibus decipiantur, vel aliquas subordinaciones et obedientiam faciant, praestent, mandamus, sub simili poena et iusto juris rigore. Quos etiam vos suprascripti Executores, quantum opus fuerit, moneatis et requiratis vigore praesentium Literarum Nostrarum. Quas etc. Datum Vlodimiriae, die 31 mensis Octobris, V.S., 1773 anno.

FELICIANUS, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae.

224.

Volodimiria, 1. XI. 1773.

Supplicat protectionem in Causa sua sum Coadiutoribus ne privetur iurisdictione et ad ultimum opprimatur.

APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, v. 11, ff. 362-363.

Beatissime Pater.

Oppressus undequaque et in senio aetatis afflictus, cum neminem amplius inveniam, qui misertus sic persecuti manum protectricem porrigeret, advolando ad Sanctitatis Suae pedes, et quam religiosissime hos exosculando, vocem tandem exalto ad Beatitudinem Suam, Supremum in terris solumque aequissimum Iudicem, ut mihi benignam aurem praebere ac Paternae pietatis oportunum auxilium praestare dignetur.

A tempore ac binos Coadjutores in Dioecesis Metropolitana Kijoviensi et Episcopali Vladimiriensi ac Brestensi, ex benignitate Sanctae Sedis mihi conceditis, adlexi, credideram eorum opera in Pastoralis Officio, praesertim luctuosis his temporibus, utiliter me perfrui posse, ac dein hoc pacto gratos Successores nancisci; sed ut mihi haec certo proposueram, ita in contrarium quae hic eventura nunquam praesensi, ea nunc infelicissimus perabunde perpetior, dum ab iisdem meis Coadjutoribus, perversis illorum artibus (f. 362v) jurisdictione exutus, bonisque spoliatus, nescio ad ultimum quid aliud acerbius, demandationem potentia saeculari in exilium, aut detrusionem in Carceres expectare debeam; quod palam jactare et mihi insolenter minari non verentur, ex quo a gravaminibus Decretorum Judicum Compromissariorum ad Sacram Congregationem Propagandae Fidei Sanctamque Sedem recursum et appellationem feci; non ut privato meo commodo per intensas dilationes executioni Transactionum (ut adversarii contendunt) consulerem, sed venerando, ut par est, Decretum Sacrae Congregationis Propagandae Fidei anno 1770, diebus Mensis Aprilis, pro parte mei latum perque Sanctitatem Vestram plene approbatum, quod per partem adversam esse elusum cum summo cordis dolore video. Felici tamen negotio ipsis omnia ex voto succedunt, nam potentibus hic protectionibus suffulti coram Sancta Sede sinistra quaeque contra me libere spargunt; ego, vero, licet defensiones meas proponere non omittam, obrutus tamen vi fortium, usu venit, ut semper succumbam. (f. 363v) Sed per Deum Immortalem! edicant Dioeceses meae rationem in his annis regiminis mei, Clerus Populusque edicat, si unquam in meo Officio defui? proferat demum tota haec Respublica (ut de facto Magnates Regni conscii meorum calamitatum et persecutionum, quas innocenter sustineo Litteris suis ad Sacram Congregationem Propagandae Fidei directis hac de re enunciant), si contra illuviem Schismatis exotici totis viribus meis arginem opponere omisi? Et vel exinde tanto molestius mihi accidit praesentia perferre, quanto luculentius singulis constat minus me ea promereri. Unde confugiens ad sinum misericordiae Beatitudinis Vestrae imploro tanquam a Patre communi miserationis auxilium, ne in declivio annorum meorum inimicorum avaritiae et mundanae versutiae victima remaneam; imploro tanquam a Supremo Orbis Iudice in Causam meam, quae est causa oppressae justitiae inspicere, et hujus discussionem Sacrae Congregationi Propagandae Fidei, ad quam provocavi committere. O, Pater Universalis, (f. 363v) monstra Te esse Patrem mihi minimo Filio, ut quemadmodum primum Decreto Sanctitatis Suae muneri meo restitutus extiti, ita et modo ab impetitis et insidiis adversariorum contra me instantiis, per benignitatem Beatitudinis Vestrae praeservatus maneam illiusque Decreti gaudeam effectu. Quod reliquum, Deum Optimum Maximum devote exorare

non desino pro conservatione Beatitudinis Suae quam diutissima ad bonum Sanctae Ejus Ecclesiae; pedibusque beatis iterum advolutus, Benedictionem Apostolicam mihi totique meo Populo humillime exoro.

Beatitudinis Vestrae

obedientissimus Filius, Servus humillimus
et continuus Exorator

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. Metropolitanus
totius Russiae (m.pr.)

Datum anno 1773, die 1 Novembris, Vladimiriæ.

225.

Volodimiria, 4. XI. 1773.

Respondet ad obiectam sibi violationem concordiae cum Coadiutoribus, de administratione eparchiae Metropolitanae in Lithuania, de Archivo Metropolitanano, de monasterio monialium Volodimiriensium.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 91, fol. 265-266.

Illustrissime, Excellentissime, Rev.me Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Multitudo negotiorum praesertim Forensium in variis Subselliis, atque in hoc judicio terrestri Vlodimiriensi inchoatorum, in causa fuit, quod Responsum ad epistolam Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae, de die 21 elapsi ad me scriptam una intermissa Cursoria, ad praesentem differre debueram. Ex praemissa epistola edoceor delatas esse ad Excellentiam Vestram Ill.mam, Rev.mam querelas, ex hac occasione quod R. Hucewicz Sacros Ordines contulerim, imputando mihi acsi perinde Sacris Canonibus contravenerim. Hujusmodi Canonum qui juri meo Ordinario in praemissis adversarent, et facultatem ordinandi in Ill.mos Coadjutores transferrent, demonstrationem mihi exigere adhuc restat a Delatore, antequam ad hoc punctum directe respondere debeam. Non abnego equidem me virtute Concordiae, et Literarum Vicariatus facultatem etiam sacros ordines conferendi Ill.mis Coadjutoribus delegasse, sed inspecto istarum Transactionum motivo, contextu, et ipsius Delegationis natura, nullatenus concludi poterit, me totaliter juri meo ordinario renunciasse, et hanc facultatem privative in Ill.mos Coadjutores transfundisse. Talis quippe renunciatio, et transfusio longe certius Sacris Canonibus, et Autoritati Metropolitanae foret praejudiciosa. Proinde quamvis nullam moverem quaestionem de efficacia memoratarum Vicariatus literarum, nondum legitime effectuarum, sperare mihi tamen licuisset, quod non patietur prudentia, humanitas et gratitudo Ill.mi Rev.mi D.ni Coadjutoris Vladimiriensis, ut me hac de re ad iudicium provocare et illicitam R. Hucewicz

ordinationem ultronee evincere sineret, siquidem etiamsi ipsemet virtute alte memoratae Delegationis hanc ordinationem perfecisset, non aliter eam licitam probare posset, nisi ad fontem Potestatis meae ordinariae et Delegantis recurrendo.

In Dioecesi Metropolitana per Magnum Ducatum Lithvaniae (f. 265v) extensa, praeter Officiale Generale Vilnensem reperiuntur insuper quatuor Iudices Surrogati cum facultatibus huic ipsorum Officio competentibus, a me pridem constituti, quorumabilitas ideo forsitan Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae est ignota, quod ad id nulla se adhuc obtulit occasio. Per eos satis superque Recurrentium commodo, et necessitatibus provisum esse existimo; quodsi vero contingat aliquos per ignorantiam, praetermissa Ordinaria Instantia, recursibus suis Excellentiae Vestrae Ill.mae, Rev.mae praebere incommodum, eosdem commonere et ad me remittere supplico.

Intuitu archivi plurimas ad Ill.mum D. Coadjutorem Metropolitanum faciebam requisitiones, nullum tamen sortitus sum non solum effectum, sed nec responsum. Non considerat Ill.mus D.nus Coadjutor quod ex hac occasione Patrimonio Christi secutura damna ipsimet erunt praejudiciosa. Ad Ill.mos Compromissarios hac de re faciendum mihi indigitat Excellentia Vestra Ill.ma, Rev.ma recursum, sed quoniam haec cathogoria sit extra scopum controversiae nostrae, in praemisso iudicio compromissoriali agitatae, quomodo sperare debeam majorem erga Compromissarios, quam erga me, Metropolitanam, ab Ill.mo D. Coadjutore respectum.

In causa inter Parochum Ecclesiae S. Eliae Prophetae et Moniales Ordinis S. B. M. Monasterii Vladimiriensis, ratione fundi in quo sita est Residentia et Capella dictarum Monialium, in Tribunali Apostolico pendente emanavit ex immediata audentia Decretum, quo praedictae Moniales ad directe respondendum pro futura juris sub rigore mandati executione extiterunt obstrictae. Tam arcto, et brevi tempore dictae Moniales non valentes opportuna ad hanc Causam colligere documenta, supplicarunt mihi quatenus instem ad Excellentiam Vestram Ill.mam, Rev.mam, ut illis aliquam adhuc moram ad (f. 266) effectum exquisitionis documentorum indulgendam commendare faveat, quod et ipsa justitia exigere videtur, ne quispiam inermis et indefensus condemnetur. Hanc gratiam repetitis precibus expetendo, maneo cum profundissimo cultu et veneratione

Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris singularissimi
servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Die 4 Novembris 1773 anno. Vladimiria.

226.

*Kupieczovia, 2. XII. 1773.**De executione concordiae brachio militari adhibito, de conditionibus non adimpletis ex parte Coadiutorum, de incarcerationatione sui Instigatoris, etc.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 91, fol. 354.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Post reditum ex Compromisso 25 mensis elapsi in Rozyszcze, residentia Illustrissimi Episcopi Luceoriensis fundato, Plenipotentum meorum, pervenerunt ad me literae Ill.mae Commissionis Generalis Regni, sub die 15 etiam mensis elapsi Varsaviae datae, permittentes Ill.mo Stepkowski, Castellano Kijoviensi, quatenus ipse, requisitus ab Ill.mo Luceoriensi et Chelmensi Episcopis Compromissariis, ad executionem Decretorum in meo cum Ill.mis Coadjutoribus interesse prolatorum, brachium militare concedat. Quas litteras cum eo intensius, quo insperatus sunt emanatae, considerarem, totus in admirationem ductus exclamare debui: Huccine mea spes meliorationis status mei, huccine diuturna patientia, ac benigna Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae promissa pervenerunt, ut ego exinde majores oppressiones exerior, unde satisfactionem in justis meis ad Ill.mos Coadjutores praetensionibus veniendam arbitratus fui! Omnes anteriores Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae ad me datae epistolae, ipsum etiam Instrumentum Delegationis pro Ill.mis Compromissariis, non aliter sonant, quam ut non prius Ill.mi Coadjutores ad exercitium iurisdictionis spiritualis perveniant, donec meae praetensiones cognitae, illaeque satisfactae fuerint. Unde igitur ista tam repentina priorum fundamentorum, quibus ego innitebar, mutatio? Non utique id sonant articuli Concordiae, studio et officiis Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae formati, a me et Coadjutoribus meis subscripti, et a Sanctissimo Domino approbati; quibus ego non contravenio, imo illos adimpleo (f.35 4v) et quamvis appellationem a gravaminoso pro me Decreto Compromissoriali ad Sanctam Sedem institui, non animo tamen querendae discordiae, a qua animus meus abhorret, sed citius et firmiter roborandae pacis id feci. In qua expectanda, ne aliquam patiar molestiam, rogo Ill.mam, Rev.mam Excellentiam Vestram, illamque exoro, quatenus, ut est Tutor Legum Spiritualium, Sanctissimi Domini dispositionum, et immunitatis ecclesiasticae, non permittat illa laedi et violari per vim saecularem, revocationemque Dispositionis, a Commissione Generali emanatae, procurare dignetur. Repetitas pro eo Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae mittendo

preces, profiteor, quod ejus, quae benigna spero, mandata, pro posse adimplebo, et fateri non desistam, quod sim cum debita observantia

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae,

addictissimus et humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Rev.dum Glinski Archi Dioecesis meae Metropolitanae instigatorem, nunc primum ex carceribus, quos ex malevolo animo Ministrorum Il.mi Leopoliensis annis duobus passus est, liberatum, ad tuenda sua Varsaviae negotia mitto. Quem singulari Ill.mae, Rev.mae Excellentiae Vestrae commendo gratiae, ut in his quae oretenus exponet exaudiatur, desiderataque illi non denegetur iustitia.

Die 2 Decembris, 1773 anno, in Kupieczow.

227.

Kupieczovia, 3. XII. 1773.

Litterae circulares quibus praecipitur omnibus ut obediant parochis catholicis in tractu Ucrainensi degentibus.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 91, fol. 357.

Felicianus Philippus Wolodkowicz, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae Gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis et totius Russiae Primas, Protothoronius Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, Kijovopeczarensis Abbas.

Omni Clero Archi Dioecesis nostrae per Palatinatus Kijoviensem et Braclaviensem extensae, signanter autem Illustri. Adm. RR Decanis, Parochis, Commendariis, Vicariis, Beneficiorum vacantium Administratoribus, nobis in Christo dilectis, salutem in Domino et Pastoralem Benedictionem.

Cum non pridem, praesentibus nobis, et habitantibus per semestre Radomisliae, in revisione Archi Dioecesis majore ex parte tempore consumpto, quidquid indigebat correctione, dispositione pro posse perfecimus, vobis in pace relictis, ad adinveniendam opem detentis eodem tempore in Carcere Berdiczoviensi Sacerdotibus ad dioecesim Vladimiriensem rediverimus, et hos, Deo iuvante, liberavimus, certiores facti ex iisdem peractis dispositionibus et actionibus dulci pia pace experiri in Clero erga nos Pastorem addictionem debitam ad omnes conatus, quomocunque illam debilitare intendentes, haud facilem videre ad extremum Populum aedificantem, ex unanimitate, et bona harmonia Parochorum nostrorum, non sine molesta sensatione, audimus de multis exemplis, quibusdam in

locis, terribilis independentiae, de inobedientia officialibus, Decanis a nobis creatis practicabili, et eorundem ut talium quales sunt non agnitione, et contrario modo submissione et obedientia aliis quos nos hujus characteris esse neque scimus, neque scire volumus, ad extremum nulla appraehensione nostrorum Pastoralium mandatorum, et aliis inconvenientiis. Quod omne etsi justam iram nostram post se trahere debuisset, nos tamen magis mansuetudine regere et paterne procedere asueti, paenis debitis, pro commissis jam transgressionibus, semotis, praecipue vero volentes consulere, ut istud amplius in posterum non esset, vobis supra expressis Parochis, Commendariis, Vicariis, Administratoribus hac epistola nostra circulari, sub censura suspensionis ab actibus ordinis et aliis paenis a nobis infligendis, inhibemus, ut consuetam obedientiam, tam nobis Pastori proprio, quam a nobis creatis Officialibus, Decanis et non aliis, in omnibus praestetis. Ad removendos autem ab eo vos seducentes suggestus, mittimus vobis Romanam citationem, simul cum inhibitione ex Camera Apostolica, sub die 5 mensis Novembris anno moderno emanatam, et typo reimpressam, quae ad omnium notitiam ut perveniat simul cum hac epistola consueto cursu, sine mora transmittantur, vobis supra expressis commendamus. Dat. Kupieczoviae, die 3 mensis Decembris, V.S., 1773 anno.

FELICIAN, Arcybiskup Metr. całej Rusi (L. S.)

228.

Volodimiria, 23. XII. 1773.

Iterum certiorat de iniuriis sibi illatis a Coadiutoribus.

ASV, *Arch. Nunz. di Vienna*, vol. 75, fol.

Eminentissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Breve Apostolicum ratione imminutionis Fectorum emanatum, annexum literis Eminentiae Vestrae sub die 4 praesentis Vienna Austriaca ad me datis, reverenter legi; quodque his mediantibus iniungitur, quantum in me est, tanquam obedientissimus semper filius Sanctae Sedis Apostolicae exequi non gravabor.

Gratulor mihi praesentem occasionem qua possum significare dolorem meum inde provenientem, quod Domini Coadiutores mei, uti notum est Eminentiae Vestrae, nihil praetensuri iuxta appromissum quo usque ego vixero, adhibito saeculari brachio bona mihi eripiunt, Spiritualique Jurisdictione privare conantur.

Pristinae me gratiae commendo cumque perenni cultu ac profundissima veneratione persevero

Eminentiae Vestrae

addictissimus, humillimusque Servus et Exorator

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus et Metropolitano totius Russiae
Vladimiriae, die 23 Decembris, 1773 a.

Em.mo et R.mo D.no S.R.E. Cardinali Vice Comiti, Nuntio Viennensi.
Metropolitano Greco di Polonia risponde sul proposito della riduzione delle Feste, e si lamenta dè proprii Coadiutori

23 Xbre 1773.

229.

... 1773.

Littera quaedam consolationis in afflictione.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 33, f. 202.

Copia Epistolae de qua in mox expressa copia mentio.

Rev.do Parocho Soltanoviensi Pax Christi.

Oves Nobis rebelles factae sunt sanguine Christi redemptae, et adhuc et illi, qui in dignitate characteris Sacerdotalis gestando in manibus absconditum in Sacramento Deum, a fide recesserunt, et ab obedientia nostra eximuntur. Igitur omnes hos insolescentes et apostatas a fide S. paena Dei expectat, ubi et filius suae Paternitatis ad hanc rebellionem accessit, jam super se a D.no Deo accepit paenam in manibus et Deus scit quae expectat paena super collum ejus. Quid ergo agendum quod Suam Paternitatem prout Patrem non audit et ab obedientia recessit. Quo exposito sum

Tuae Paternitatis addictissimus Pastor

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitano totius Russiae

230.

Varsavia, 1773-74.

Memoriale quoddam Regi Poloniae datum de abusibus Dissidentium in Ucraina.

ASV, *Nunz. Pol.*, vol. 344/III, fasc. 94, n.n.

Memoriale Ser.mo Regi Poloniae Augusto Stanislao
Poniatowski, datum ab Ill.mo Metropolitano Feliciano Wolodkowicz.
Serenissime etc.

Turbam relationum, infortunia Orarum regni pro scopo habentium

his praesertim temporibus perquam frequentius laedentium quotquot minutis Aures V.ae Regiae M.tis, cum intimo Paterni cordis sensu, expositione intolerabilis Cleri mei persecutionis in Braclaviae et Kijoviae Palatinatibus practicatae, abstinerem augere, si non essent meae partes, cum profundissima submissione mei coram Majestate, supplices fundere praeces pro obtinendo remedio, contra impetitiones evertendae ergo Unionis S. intentatas, praesertim cum violenti impetu radicitus eversio- nem ejus respicientes supremum attingendo gradum.

Non satis erat Ep.po Perejaslaviae, in fundamento emanati Petropoli, anno 1771 die 8 7bris, Mandati, contra quod V.a S.a Regia Majestas injunxit Ministris porrigendam Notam ad Curiam Petropolitanam, Mandati non plura continentis, praeter assecurationem certitudinis vitae et fortunarum Disunitis in praedictis Palatinatibus existentibus, spiritualem suam Juri- dictionem extendere, ad Ditiones nullo jure sibi subjectas, nominando se Episcopum dictarum Orarum, mittendo suos substitutos, *Uprawytele* dictos iisdemque utendo tanquam instrumentis ad deceptionem Vulgi, adoptionemque in partem suam per sexcentas fraudes, dolose Ecclesias appropriando. Verum etiam contra expressam obloquentiam dicti Man- dati, specificè comprehendentis Clausulam inhibitoriam, ne ejusmodi abuteretur permissione, nimirum per vim inferendam, ignoro qua Po- testate idem Episcopus per Mandatarios suos, adhibito Brachio Exercitus Russici, invadere Domos Plebanales, Ecclesias eripere, Presbyteros Unitos omnibus spoliatos intercipere, compedibus ligatos incutiendi causa hor- roris in plebem, cogere ad Polonnae et varia loca eosdemque incarcerare, in eorum locis Disunitos locare, et tali modo plus quam 400 Ecclesias sibi appropriare audeo, ut R. Joannes Jachimowicz, missus a me ad dictas ditiones, nunc his praesens, electus ab oppresso Clero Procurator cum periculo vitae suae vix potuit redire, adferreque hic adnexa desideria afflicti Cleri, reponenda in Scabello Suae Mt.tis.

Horum, et similium damnorum Dioecesi meae adlatorum amotionem a V.a Regia Mt.te humillime exposcens, repeto mea debita obsequia, tum Universo Populo Pastoralis Meae Curae commisso orandi Deum pro felici et longo Domino.

Mt.tis Vestrae Regiae, Domini Mei Clementissimi humilimus Servus, subditus fidelis et exorator.

Felicianus Wolodkowicz, Archiep'pus Metropolita totius Russiae, Vladimiriens. et Brestens. Ep.pus, mpp.

231.

*Vladimiria, 12. I. 1774.**Conqueritur de Iudicibus Compromissorialibus et de causa cuiusdam Monialis Minscensis.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, f. 6.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Pro duabus epistolis Excellentiae Vestrae quarum una sub die 16 immediate elapsi per R. Glinski, altera die 6 currentis praesenti posta ad me scriptae fere uno eodemque tempore pervenerunt, reverenter rescribens, queror contra Reverendissimos Iudices Compromissarios, qui licetsi per se, uti lego, brachii saecularis auxilium imploraverint, semper tamen conicientes cusam suorum factorum in quem alium dictabant se ista facere quae iis mandantur desuper. Summas refero gratias Excellentiae Vestrae pro praeliminaribus et memoria appromissa in negotio Reverendi Glinski primario Privilegiato nam honorem ipsius summe (f. 6v) laesum pro obiecto habente.

Quo ad monialem sacrilegam Monasterii Minscensis, ut primum rescivi de nefando scelere, ante tres adhuc septimanas injunxi Reverendissimo Modzolewski, Officiali meo Vilnensi, actu Ecclesias Minscenses visitanti, cujus prudentia in agendis ipsi Excellentiae Vestrae bene est nota, praedictum Monasterium Monialium Minscense visitandum, omnemque diligentiam ejusmodi actui competentem adhibendam eidem commendavi.

Interea cum illimitata veneratione maneo

Illustrissimae, Reverendissimae Excellentiae Vestrae addictissimus
et humillimus servus

F.WOLODKOWICZ, Arch.pus Metrop. totius Russiae (mp).

Excellentissimo Domino Garampi, Nuntio Apostolico in Regno Poloniae.

Vladimiriae, die 12 Januarii 1774.

232.

*Vladimiria, 20. I. 1774.**Instat apud Praefectum in sua Causa cum Coadiutoribus.*APF, *Congressi, Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 11, f. 492rv.

Eminentissime et Reverendissime Domine,
Protector Gratosissime.

Ex praecedenti responso meo ad anteriores literas Eminentiae Ve-

strae dato, quod necdum pervenit antequam altera epistola sub nona mensis et anni immediate elapsorum ad me data expediretur, per quem luculenter patebit, me nullomodo posse causam meam instituire coram Excell.mo Domino Nuntio Apostolico, tum ob rationes iam alias prae expressas tum quia idem Excell.mus Dominus Nuntis interatis vicibus in literis suis ad me datis facta per Dominos Compromissarios pro irrevocabilibus declaraverit, meque non audito, executioni demandaverit, imo prout ipsi Domini Compromissarij divulgare fecerunt, sententias per illos latas ipse inspiraverit.

Pro justitia itaque et aequanimitate sua deferet Eminentia Vestra conclusioni meae in praecedenti Epistola exaratae, Causam meam retinendam esse in Urbe, seposita omni suspesione acsi litigia quaererem, (f. 492v) qui secundum vocationem meam paci tranquillitatisque primario studeo, uti recens quoque concordia testatur, et cum profundissimo cultu, maneo.

Eminentiae Vestrae, Benefactoris mei syngulairissimi Servus humilimus

F. WOŁODKOWCZ, Archiep. Metr. totius Russiae
Die 20 Januarij, 1774 anno, Vladimiriæ.

233.

Kupieczovia, 29. I. 1774.

Litterae circulares inhibentes ne aliquid fiat in praeiudicium suae potestatis metropolitanae ex parte Coadiutorum.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, f. 13; polonice f. 14.

Traductio.

Philippus, etc.

Universo clero, signanter saeculari, in parte Archidiocesis Metropolitanae in Palatinatibus Kijoviensi et Braclaviensi existentis, nec non Dioecibus nostris Vladimiriensi ac Brestensi reperibili, nobis in Christo dilecto, salutem et benedictionem.

Etsi cum pridem transmissis, tam per Dioecesim per Palatinatus Kijoviensem et Braclaviensem sese protendentem, quemadmodum etiam Dioecibus nostris Vladimiriensi et Brestensi literis circularibus²⁶⁶ autoritate ordinaria vobis serio commendavimus, ut vos, non attentis quibuslibet *Decretis, circularibus, mandatis et scripturis noviter divulgatis, authorita-*

²⁶⁶ Cfr. sub nr. 227, sub dat. 3.XII.1773.

ti nostrae derogantibus, ac per post editam *inhibitionem* in quam per ferventissimis clausulis ex Camera Apostolica sub die 5 Mensis Novembris anni proxime elapsi editam cassatum, nemini alteri nisi nobis Pastori suo, et a Nobis partem jurisdictionis sibi concreditaе habentibus Illustrissimis RR. Officialibus, Adm. RR. Decanis, in omnibus et plenarie obediatis, ac pro amovendo omni dubio et renitentia inhibitionem hujusmodi typis impressam ad praenominatas transmissas Circulares nostras adjunximus; praeter expectationem nihilominus nostram proveniunt ad nos notitiae, qualiter cupientes ad *statum sacerdotalem promoveri*, non ibi ubi juris esset, hoc est non apud nos *Ordines suscipiunt*; jam vero per nos ordinati in spacio aliquot annorum cum summa derogatione jurium continuati hucusque incessanter regiminis nostri, *pro absoluteione ad Potestatem suspensam a Superiori Potestate recurrunt*; *installationes nostras pro suspectis habentes ab aliquo alio confirmationes exquirunt, scripturas tam nostras, quam Romanas*, pro parte nostra facientes, impediunt, intercipiunt, abscondunt. Quapropter, obviando communi disordini ex praespecificatis causis sese magis magisque dilatanti, iterum in memoriam vobis revocamus, oves nostrae, ut agnoscatis proprium Pastorem, nostris et a nobis potestatem habentibus mandatis accutate obediatis; monemus insuper ne consimilia superius (f. 13v.) expressis, speciem illegalitatis praeseferentia practicentur exempla, idque sub paena suspensionis a Divinis, aliisque arbitrariis juxta magnitudinem culpae irrogandis. Omnes quoque, tam in Archidioecesi, quam Dioecibus supranominatis *ad Ordines promoti*, non per nos sed per quepiam alium, aut in post *ordinandi, quod sint ipso facto suspensi et pro talibus agniti praesentibus ad notitiam omnium deducimus, reservando nobis absoluteionem eorundem*. Quae ut ad omnium notitiam perveniant, has Literas nostras, juxta impressionem sigilli, manu nostra subscriptas per Archidioecesim et Dioeceses supranominatas publicari mandavimus.

FELICIANUS, Arch. pus Metrop. totius Russiae (L.S.)

Nicolaus Lubowicz, Curiae Metropolitanae totius Russiae, Ep. lis Vlodimiriae et Bresten, nec non Consistorii Gen. lis Vilnensis et Apostolicus Notarius.

— Foris — Parochus Rokitnianensis praesentes valvis Ecclesiae affigere debet.

Datum Kupieczoviae, die 29/18 Ianuarii, 1774 Anno.

234.

Radomyslia, 2. II. 1774.

Litterae habilitationis ad beneficia.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, f. 20; exemplar polonicum fol. 19.

Felicianus etc.

Universis et singulis etc. notus facimus, quia nos, postquam Reverendum Basilium Swiecicki, actu Presbyterum, ex bonitate vitae morumque Nobis commendatum, facto per ipsum coram examinadoribus Nostris, expresse ad hunc effectum constituitis, ex doctrina atque scientia rigoroso examine, ad consequendum aliquod beneficium habilem ac idoneum judicaverimus; eidem quatenus possit facilius vacantem Ecclesiam post fata Reverendi Ioannis Losinski, anteacti Parochi in Villa Wysokie dicta existentem sub Titulo Sanctissimae Trinitatis curare et praesentationem pro persona sua, modis tamen a jure canonico praescriptis, obtinere a quo de jure venerit, consensum, seu verius Testimonium habilitatis per hasce Literas Nostras (nihil praejudicando juribus collatorum) damus et concedimus.

In quorum fidem, etc.

Archidiaconus Cathedr. Vladimir., Vicarius in Spiritualibus et Officialis Generalis Metropolitae Kijoviens.

ROMANUS WYHOWSKI P. A.

Datum in Radomysl, die 2 Februarii Veteris styli, 1774.

235.

Vladimiria, 16. II. 1774.

Nuntio Apostolico explicat rationes sui recursus in Urbem contra iniurias et damna sibi facta a Coadiutoribus in nota causa iurisdictionis, inde ab anno 1768 inchoata.

ASV Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92. f. 27-28.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Iam alias exposui rationes Excellentiae Vestrae, quae me coegerunt facere recursum ad Urbem, exportareque remedia juris ab Auditore Camerae; horum vigore sublato, uti ex Literis sub die 3 currentis ad me datis edoceor, quorum lator Decretum Curiae Romanae recentissimum mihi intimavit, quoniam concludit Excellentia Vestra reassumendam causam ratione praetensionum coram iudicio compromissoriali, praemitto excerptum Literarum Excellentissimi Domini S. R. I. Comitis a Pergen, Gubernatoris Leopoliensis, sub die 8 ad me scribentis, in hunc modum: «Processus contra Rev.mum Coadjutorem suum ex causa gestae administrationis, in quantum objectum litis rem spiritualem concernit, ad Eminentissimum Cardinalem Nuntium Viennensem, evitata Nunciatura Var-

saviensi aut Tribunali Romano, devolvendus, et ab inde utpote foro rei competenti in causis mere spiritualibus ejusdem decisio et disjudicatio tanto certius expectanda erit, quanto magis in moderno rerum statu a praefata Nunciatura Viennensi quaecunque expeditiones in rebus ecclesiasticis Reverendissimis Ordinariis horum Regnorum pervenerit, consequenter etiam illis in quibuscunque obvenientibus Causis Ecclesiasticis ad eandem Nunciaturam recurrendum habent»; ac tandem interea (f. 27v) Judicium Delegatum nullomodo posse gaudere majoribus facultatibus ipso Delegante. Unde palam est, si etiam aliquid mihi per idem adjudicatum fuerit, effectuatio ob praexpressam causam vix speranda. Insuper a praelibato Rev.mo Judicio quid mihi ultro venit expectandum, cum Excellentia Vestra Delegans illius postremis literis scripserit me obligatum esse ad mutuam calculationem, qui ipse sum Decreto Sanctissimi Domini Nostri redintegratus, et cui per DD. Coadjutores praestanda in-juncta est calculatio non autem mutua.

His non obstantibus absque minima controversia atque cunctatione ipse exposcerem media amabilia pro dirimenda hujusmodi tediouissima lite ab Excellentia Vestra, potius ipsis circumstantiis, quam in dubium haud revocabili Suae in me benevolentiae omnia mecum acta adscribens, nisi eo devenerit implacabilis furor DD. Coadjutorum meorum, ut alter illorum immemor gratitudinis, humanitatis, his diebus, non contentus iam alias occupatis praediis, sub praetextu spoli ac si per me commissi cupiens eripere, uti illius lista enarrat, quae ego cum longo labore Deo adjuvante comparavi, quadraginta milites ad residentiam meam mittere non dibutavit, qui me tanquam obsidem habent, miseros subditos opprimunt, violentias faciunt, et clamor ad caelum iniuratorum (f. 28). Autoritas mea vilipensa, irrita, et hucusque perpetrari ea omnia minantur, donec effiguratum spolium purgatum fuerit. Nihil itaque superest afflicto Coadjuto solo nomine tantum inter Confratres Primatum possidenti expectandum, quam postquam cesserint in holocaustum ingrati-tudini et vindictae suorum Coadjutorum autoritas, facultates, bona existimatio, praedia, redditus, id quod remansit residuum eripiendum ipsam-que mortem accelerandam.

Credat Excellentia Vestra verissimis expositionibus meis, admoneat DD. Coadjutores quatenus hostiliter cum suo Coadjuto procedere abstineant et impossibile est ut ego gratitudine non flectar, qui ob spem unicam gratitudinis beneficia praestiti. Sicque obviabitur et discordiae, pullulan-tibus scandalis, satisfiet Excellentiae Vestrae, cujus cum profundiori cultu ac veneratione maneo

Excellentiae Vestrae Reverendissimae addictissimus et humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. pus Metropol. totius Russiae mp).

Die 16 Februarii 1774, Vladimiriæ.

Excellentissimo et Reverendissimo Domino Nuntio Apostolico in Regno Poloniae.

236.

Vladimiriæ, 24. II. 1774.

Alia littera Nuntio Apostolico data de causa cum Coadiutoribus vertente deque suo recursu in Urbem a iudicio compromissoriali.

ASV Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 15-16.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Videntur DD. Coadiutores mei probe noscentes me unicum asylum habentem Santam Sedem Apostolicam, studio diffugiorum pro evitanda efficacia Supremorum Oraculorum anticipative procurare semper novam protectionem, cum recepta epistola, cujus excerptum praecedentibus Literis inserui, post aliquot dierum interstitium huic in omnibus conformi, cujus copiam praesentibus adjungo, repetens nempe quatenus causam meam instituam coram Nunciatura Viennensi, pervenerit altera Excellentissimi Domini Comitum Hadik Leopoliensis Gubernatoris. Ego si non exposco ad praesens reassumendum Iudicium Compromissoriale, recurroque ad Urbem, facile me Excellentia Vestra excusatum habebit, cum ea, quae sunt favore partis adversae facta, irrevocabilia esse, uti iam alias quaestus sum, legerim, sperandorum vero favore mei dubium eventum seu potius incertam effectuationem ex supra allatis deveniam, pro confirmatione ejusmodi conjecturae absentiam Illustrissimi Leopoliensis Episcopi tam per se quam per suum Procuratorem in penultimo termino compromissi in Rozyszcze agitati commemorans.

Illustrissimo Mlodowski solvendam summam decem millium Florenorum Polonicalium non recusavi neque recuso, imo me hac in re paratissimum habuit et habet. Bona nullomodo dimittere possum, (15v) cum bene meminerim quantum impenderim laboris pro reducendis iis ad hunc statum, in quo reperiuntur, et centies assecurare possem in casu dimissionis eorum naturam ad extremum redigendam; prout ad praesens quidem insolentia aut incuria praesidii militaris in Biskupicze Wielkie cum summa oppressionem miserae plebis hucusque commorantis quatuor villani reliquis opulentiores sunt conflagrati, duo infantes periverunt flammis, quantae vero extorsiones quotidie practicentur, praetermittitur silentio. Mutet modum procedendi cum suo Coadiuto Coadjutor, exhibeat

se gratum pro beneficiis, non vacet subdolis inventionibus, factis per Coadjutum suo adiutorio robur addat non evertat, contra iura ecclesiastica et civilia in bona episcopalia exercitum non introducat, eundemque pane Christi cum injuria egenorum non alat, cum impracticabili opprobrio in Residentiam sui Coadjuti militem, qui pro velle omnia sibi subministrare praecipiat, aulicos pro cedendis sibi cubiculis cogat, subditos dispellat, non mittat, afflictiones afflictionibus absque respectu aetatis, dignitatis non addat, et ierum repeto: mutatum erga se Coadjutum vicissim experietur.

In Palatinatus Kijoviensem et Braclaviensem ab ordinatione aspirantium iam per alterum annum abstinui, die noctuque cogitans de providendis non tam pridem liberatis a carcere Berdyczoviensi Presbyteris, cum interea duo Uniti Episcopi et tertius Disunitus (f. 16) his temporibus plurimos in Ukrainam ordinaverint, videlicet Illustrissimus Szeptycki, Episcopus Leopoliensis, extraneus Perejaslaviensis, et nescio sub quo saltem praetextu Illustrissimus Episcopus Chelmensis, qui, me non requisito tanquam Ordinario Loci, imo inscio, ante aliquot menses, relicta Sua Diaecesi, in Ukrainam se contulit, in alienam messem immisit falcem, ibi Pontificalia exercet, ordinat, etc., demum sparsus erat rumor acsi occisus fuerit, quod est falsissimum, adeoque perpetuum chaos in praedictis oris non ex me contingere Excellentia Vestra sufficienter perspiciet, qui etiamsi privatus fuerim jurisdictione ordinaria, usus tamen potestate Metropolitana quousque vixero non possum occludere aures ad clamores Caelum penetrantes undique oppressi Cleri, charissimarum ovium mearum Pastoralem meam opem invocantium.

Superest expetendum ab Excellentia Vestra quatenus remedia juris a Tribunali Sacrae Nuntiaturae recentissime per infidelem Benjamin contra meum Fiscalem, nescio super quo exportata, quia necdum sunt intimata, revocentur, tanquam ad instantiam ejusmodi actoris exportata, qui ante Festum Circumcisionis Domini juxta vetus Calendarium praecedente (f. 16v) nocte, cum adoptatis furibus Judaeis captivatis, detentis, supplicium expectantibus, Ecclesiam meam Kupieczoviensem ornamentis Pontificalibus vasisque argenteis spoliavit.

Maneo interea cum indesinenti veneratione

Excellentiae Vestrae Reverendissimae addictissimus et humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Arch.pus Metrop. totius Russiae (mp).
Excell.mo et Rev.mo Domino Nuntio Apostolico. Varsaviam.
Vladimirie, die 24 Februarii 1774.

237.

*Vladimiria, 16. III. 1774.**Iterum petit iustitiam et acceptat aliud compromissum a Sede Apostolica iniunctum suasque conditiones proponit.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 90-91.APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, v. 11, fol. 552-553 (copia).

Eminentissime Princeps, Domine Clementissime.

Arbitrio SS.mi Domini Literis Eminentiae Vestrae²⁶⁷ de die 29 Ianuario anno currenti ad me datis intimato, quo Sanctitati Suae placuit controversiam inter me, et Coadjutores suos via appellationis a Decretis Iudicum Compromissariorum gravaminosis ad S. Sedem Apostolicam devolutam novo Delegationis oraculo prudentiae et aequitati Illustrissimi Domini Nuncii Poloniae committere, cum ea quae par est reverentia et obsequio me conformando, ad praefatum Illustrissimum Dominum Nuntium recurro expostulando quatenus ad mutationem pro parte mea Iudicis Compromissarii se resolvere et vigore recentissimae a S. Sede Apostolica controversiae nostrae apud se remissionis novum etiam instrumentum Delegationis, non quidem dissonum, quin imo in omnibus articulo quarto et quinto Concordiae et in confirmatione illius Eminentiarum Vestrarum negotiis Propagandae Fidei Praepositarum dispositioni Ill.mo Domino Nuntio Poloniae datae, mihi vero ab eodem per literas sub die octava Aprilis anno mox elapso intimatae atque in sequelam hujusmodi dispositionis obloquentiae Instrumenti Delegationis ex Cancellaria Illustrissimi Domini Nuntii propter praepeditos Compromissarios emanati, conforme nunc pro parte mea (f. 90v) in personam Illustrissimi et Reverendissimi Domini Adami Krasinski,²⁶⁸ Episcopi Camenecensis, quem mihi ad id muneris conducere esset commodissimum, extradere dignetur huic novo Compromissario, et alteri a Parte adversa electo committendo, ut revocatis graviminibus et attentatis per Decreta anteriorum Iudicum Compromissariorum, qui a sensu et tenore Articuli quarti et quinti Concordiae et supramemorata Eminentiarum Vestrarum dispositione atque Instrumento Delegationis ab Illustrissimo Domino Nuntio sub die 22 Iulii anno

²⁶⁷ Agitur de epistola S.C. de Prop. Fide; cfr. *Litterae S.C. de Prop. Fide*, vol. V, Romae 1957, pag. 239, nr. 2433.

²⁶⁸ Adamus Stanislaus Krasinski, Episcopus Camenecensis latinus (1760-1795); obiit anno 1800.

elapso edito longe recesserunt, illatis, prius ad cognitionem et decisionem praetensionum mearum procedent, salvo nihilominus ad Eminentias Vestras appellationis Parti se gravatum sentienti beneficio jure naturali concesso, ex quo in eandem controversiam plurium Decretorum Eminentiarum Vestrarum cognita influit Iudicibus anterioribus non adeo comptens. Atque hic est scopus recursus mei et expostulationis praesentis ad Illustrissimum Dominum Nuntium factae, cujus effectuationem exigit ipsa natura Concordiae, plenam et adaequatam utrique parti satisfactionem requirens, ordo justitiae, quatenus prius iniuriae quas passus sum a Coadjutoribus reparentur, quam favor quem ipsis ex mera benevolentia, et liberalitate mea non (f. 91) ex ulla obligatione justitiae declaravi, adimpleatur; autoritas Summi Pontificis per approbationem ad omnes, et singulos articulos Concordiae aequae et aequaliter se extendens, tum etiam recentissima Sanctitatis Suae per literas praesentes Eminentiae Vestrae declaratio data, cum se a Compromissariis gravatum, et a Coadjutoribus circumventum sentiam, ad Ill.mum Rev.mum Dominum Nuntium Poloniae recurrem, et ipsum pro sua aequitate, et prudentia, ne quid detrimenti contra jus et fas patiar, prospecturum, aequae postremo tenor Ill.mi Domini Nuntii, ut quemadmodum alto ejus Ministerio Concordia haec inter nos mediis benevolis et impartialibus stabilita esse creditur, ita etiam similibus non sicut alias priores Judices Compromissarii sua attentata, requisito milite Regni in praejudicium autoritatis S. Sedis Apostolicae et immunitatis ecclesiasticae cum notabili mea injuria, depopulatione Bonorum Ecclesiasticorum, plurimarum spiritualium, et saecularium personarum persecutione, atque innumeris scandalis executi sunt et adusque exequi non persistunt, debite et adaequate effectuetur, ut tandem Authori pacis et iustitiae debitas referre gratias, et decantare possemus Te Deum Laudamus. Ad hunc finem iam promptum esse (f. 91v) animum meum circa justitiam declarando, enixissime Eminentiae Vestrae supplico quatenus Ill.mo Domino Nuntio specialiter commendare faveat, ut meae supra recensitae expostulationi deferat, et ante omnia ad revocandum militem Regni in depopulationem Bonorum Episcopatus Vladimiriensis a praeteritis Compromissariis introductum, ne ista bona ad ultimam perveniant ruinam, competentes passus non deneget. Et circa haec maneo cum profundissimo cultu et veneratione

Eminentiae Vestrae d.mus et hum.mus Servus et Exorator

F. WOŁODKOWICZ, Arch.pus Metrop. totius Russiae (mp).

Vladimiriae, die 16 Martii 1774.

238.

Vladimiria, 16. III. 1774.

Nuntio Apostolico de constituendo novo iudicio compromissoriali suas proponit conditiones et observationes.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, f. 33-36.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Ultra ea quae in praecedentibus literis meis ad Excellentiam Vestram Illustrissimam Rev.mam datis expressi, clarius mentem meam in negotio cum Illustrissimis Coadjutoribus controverso aperiendo, illud praecipue ab Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma enixissime expostulo, quatenus vigore recentissimae a Sancta Sede Apostolica ad se supra recensitae controversiae remissionis novum edere dignetur instrumentum delegationis in alios Commissarios, videlicet pro Parte mea in Personam Ill.mi Rev.mi Domini Adami Krasinski, Episcopi Ritus Latini Camenecensis, quem ad hanc causam facillimum mihi est conducere et alterum quem pariter parti adversae eligere sibi placuerit. Iisdemque novis Commissariis, secundum tenorem articuli 4ti et 5ti concordiae, tum dispositionem Sacrae Congregationis Propagandae Fidei in literis Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae de die 8va Aprilis anno mox elapso ad me scriptis expressam atque obloquentiam instrumenti successive, nimirum die 22 Julii anno pariter elapso ex Cancellaria Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae emanati, revocatis omnibus gravaminibus et attentatis per Decreta anterioris (f. 33v) Iudicii Compromissarii tanquam supra memoratis articulis Concordiae, dispositioni Sacrae Congregationis et Regulae in instrumento delegationis praescriptae non respondentia, quin imo notabiles injurias, scandala, praejudicia causante illatis, prius ad cognitionem et decisionem pretesionum mearum procedendi opportunas facultates cum clausula sub nullitate iudicati si alias a praescripta semita recederent, et salva appellatione ad Sacram Congregationem Propagandae Fidei parti gravatam se sentienti, ex quo beneficio appellationis jure naturali gravatis concesso renuntiare minime fas esse existimo, tum etiam ex quo cognitum Decretum Sacrae Congregationis Propagandae Fidei sub die 2 Februarii 1769 et... Aprilis 1770 in hanc controversiam omnino influentium inferioribus iudicibus committi nequeat, tribuere et subdelegare faveat. Talem quippe expostulationis meae effectum exigit, primo, natura Concordiae, ut scilicet utrique parti plena adaequata sit satisfactio, ordo justitiae, quatenus prius injuria reparetur quam favor adimpleatur, Authoritas Summi Pontificis

per approbationem ad omnes et singulos articulos Concordiae aequae et aequaliter se extendens, nec non recentissima Sanctitatis Suae declaratio per literas Em.mi Cardinalis Praefecti Sacrae Congregationis P. F. anno currenti, die vero 29 Ianuarii ad me datas, intimata et cum se a Commissariis (f. 36) gravatum et a Coadjutoribus circumventum sentiens ad Excellentiam Vestram Illustrissimam Reverendissimam recurram et ipsum pro sua aequitate atque prudentia ne quid detrimenti contra jus et fas mihi inferatur prospecturum atque postremo ipsemet Excellentiae Vestrae Illustrissimae Reverendissimae honor ut quemadmodum haec Concordia benevolis et impartialibus mediis stabilita esse creditur, ita etiam similibus effectuatur, ut tandem Authori pacis et justitiae debitas referre gratias et decantari possemus Te Deum Laudamus. Ad hunc finem circa justitiam maneo cum profundissimo cultu et veneratione

Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae, Patroni Singularissimi addictissimus et humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ Archiep. pus Metrop. totius Russiae (mp).

Damna et injurias quas sustinent Bona Episcopatus Vladimiriensis a Milite Regni ea depopulante existimo quod non latent Excellentiam Vestram Ill.mam Rev.mam, quam enixissime rogo, ut meis Procuratoribus pro avocatione istius Militis curam habentibus autoritatis suae adjutorio adesse faveat et ultimam horum bonorum ruinam non patiatur, de quibus omnis sustentationis demptus est modus (f. 36v)

Intimavit mihi D. Coadjutor Vladimiriensis remedia ex Tribunali Sacrae Nuntiaturae, acsi in ejus residentiam Casacos immitterem, sed hos jam pridem dimisi et nonnisi duodecem pro Cursoria Postae adportanda teneo.

239.

Kupieczovia, 29. III. 1774.

Ulteriores explicationes in causa iurisdictionis et de novo iudicio compromissoriali instituendo.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 38-39.

Illustrissime Excellentissime Reverendissime Domine
Patrone Colendissime.

Desideria mea, quae in immediata epistola Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae exposui, cum non in nudo arbitrio sunt fundata, sed rebus iam transactis videlicet Concordiae nostrae, dispositioni Sacrae Congregationis et intrumento Delegationis Suae Excellentiae adamussim conformia, sincere profiteor quia non intelligo qua ratione illa et in quo restringere debeam. Similiter novum Candidatum in Compromissarium pro Parte

dumtaxat mea Ill.mum et Reverendissimum Krasinski Episcopum Camenecensem extra cordonem residentiam habentem et a me commodissime conducibilem salvo parti abversae competenti jure proponendo occasionem sumpsi ex Literis Nepotis mei aliquoties repetitis, cui Excellentia Vestra Ill.ma consilia sua aperuisse profitetur et qui certum me reddidit Excellentiam Vestram Ill.mam Reverendissimam ad electionem novi pro parte mea Commissarii facilem se extribuisse. Quapropter cum hanc facilitatem una cum recapitulatione desideriorum meorum iam Sacrae Congregationi Propagandae Fidei (f. 38v) significaverim, non esse amplius mearum partium nisi se elusum fuisse ostendam a praemisso proposito recedendi; quo vero ad praestandam cautionem sive statuendum Evictorem ab Ill.mo Coadjutore Vladimiriensi praetensum, quamvis per locationem juridicam ejusdem summae, nimirum decem millium Florenor. Polonicalium, in Castro Vladimiriensi factam, satis superque securitati ipsius providerim neque ulla necessitate, sed duntaxat incredulitate suadente illud a me exigatur, incunctanter tamen assentior dummodo vicissim Illustrissimus Coadjutor Vladimiriensis praestet cautionem aut statuat Evictorem pro restituendis mihi tam remanentibus quam administratorialibus Proventibus nec non resarciendis antea et recenter causatis damnis, successive per Judices Compromissarios agnoscendis et liquidandis, quod omnino ab ipso rationis paritas et justitiae aequilibrium requirit.

Denique humanitatis et gratitudinis morem adimplendo, ex circumstantia imminentium Festorum apprecer ut Deus Optimus Maximus Excellentiam Vestram Illustrissimam Reverendissimam diutissime incolumem conservet (f. 39) et iis omnibus repleat prosperitatibus, quae ejus desiderio et omnium sibi addictorum abundantissime respondeant, et circa maneo cum propensissimo cultu ac veneratione

Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae addictissimus et humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepus Metrop. t. Russiae (mp).

Die 29 Martii 1774, Kupieczoviae.

Depopulatio Militum adusque non persistit neque parcunt Residentiae meae, et sustentationi, quibusque quamvis omnia subministro, nihilo minus magis ex malitia quam indigentia bona mea depopulantur; repeto proinde preces meas ad Excellentiam Vestram Ill.mam, ut hanc rem in excultioribus Regionibus impracticabilem interdicere dignetur. Haec enim devastatio non modo Ecclesiae, sed et ipsimet Domino Coadjutori est nociva, tam in posterum, quam et nunc, siquidem non valebit rem familiarem manutenere, et quomodo Dominus Coadjutor me ad Concordiam inclinare et ad praestandum sibi allicere potest, siquidem tam indiscrete me persequitur.

240.

Kupieczovia, 20. IV. 1774.

Amplissima expositio conditionum pro resolutione causae vertentis cum Coadiutoribus opera Iudicum Compromissorialium de novo constitutorum; nec non de ulterioribus gravaminibus sibi et Ecclesiae recenter illatis.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 50-51.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Praeter omnem spem expectationemque meam non quidem ex responso Excellentiae Vestrae Illustrissimae Reverendissimae (cum nullum receperim), sed ex recentibus factis clarissime intellexi Excellentiam Vestram Ill.mam Rev.mam a proposito cognoscendarum et decidendarum prius praetensionum mearum, juxta exigentiam Concordiae nostrae, dispositionis Sacrae Congregationis, et Instrumenti Delegationis a se editi, jam plene et irremissibiliter recedere, quapropter ut et huic arbitrio Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae pro possibilitate mea satisfacerem, et auctoritati meae secundum jus, et fas prospicerem, in animo constitui novas, et distinctas propositiones in ordine ad terminandam cum Ill.mis DD. Coadiutoribus meis controversia exponere, videlicet: Quoad punctum supra recensitarum praetensionum mearum, ut de illarum realitate et justitia quanto citius Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae Sanctaeque Sedi Apostolicae constare possit, determinatus sum, renuntiando desideratae electioni novi pro parte mea Compromissarii, coram Tribunali Sacrae Nuntiaturae Apostolicae ordinario Processu, et ex integro experiri eoque fine disposui Procuratori meo Varsaviae residenti, ²⁶⁹ quatenus pro opportunis remediis faciat instantiam, successive post intimationem eorundem, Plenipotentem quoque cum documentis ad hanc causam spectantibus irremissibiliter missurus. Quo vero ad punctum manumittendae jurisdictionis spiritualis, sincere profiteor, quod nunquam ad tam diurnam nobiscum deveniret controversiam, si Ill.mi DD. Coadiutores justa peterent, et non ea, quae juri communi, auctoritati meae adversantur. Notum est integro Poloniae Regno, notumque et Urbi, quibus modis anno 1768, sub tempus Comitiorum Regni, ejusdem jurisdictionis manumissio a me extorta fuit, adeo ut post longam diurnamque controversiam,

²⁶⁹ Agitur verosimiliter de P. Gregorio Mokrzyckyj, vel de P. Hucewicz, qui plenipotentiam sat amplam obtinuit ad tractandam hanc causam.

nunquam a Sancta Sede Apostolica approbari meruerit. Porro, mox recensitae anni 1768 transactiones, etsi approbationem a Sancta Sede Apostolica non meruerunt, minus tamen mihi, et auctoritati meae praejudicium et gravamen, quam Concordia praesens, et in sequelam ejusdem conscripta instrumenta inferebant, nam mediantibus praedictis transitionibus Ill.mis Coadjutoribus jurisdictio sub nomine Vicariorum in spiritualibus concessa fuit, in eo duntaxat jus commune et consuetudinem excedendo, quod non libenter emuncta, et quod nonnulla Loci Ordinarii specialiter reservata usurpaverat. Insuper circa conventionem anno toties dicto 1768 vicissim ab Ill.mis DD. Coadjutoribus datis reversalibus assecutus fui, ²⁷⁰ quod ultra concessas in instrumentis eisdem facultates ad reliqua non se immiscebunt (f. 50v) quodque ad ministerium non alias personas nisi Dioecesanis assument, quod ultra Cathedriticum, Contributiones Dioecesanis pro ministris pendi solitas, ad manus meas ad effectum partiendi easdem reddent, prout alias fusius in praemissis reversalibus continetur.

Cum autem ad Concordiam, mediante auctoritate Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae in anno 1772 transactam, perventum est, revocatae quidem extiterunt supra recensitae anni 1768 tanquam emunctae transactiones, sed praejudicia et gravamina adhuc majora illata; nam, imprimis, praeter titulum Vicariorum in Spiritualibus, Ill.mis Coadjutoribus adscriptus est titulus Administratorum, qui neque cum motivo concessae illis jurisdictionis neque cum reservationibus in iisdem instrumentis expressis cohaeret, imo contradicit et perimit. Administratores quippe de jure illis duntaxat dari consueverunt, qui pro incapibus ex aliquo defectu irreparabili reperti, et declarati fuerint; an igitur licuit, et decuit tantam mihi, et Auctoritati Metropolitanam impingere notam Successoribusque causare praejudicium? talisne posteritati ab Episcopis erga Metropolitanam reverentiae, et a Coadjutoribus erga Coadjutum gratitudinis relinquenda imago? atque participantibus gratiam erga suos Benefactores exemplum, ut illis eodem ipso noceant beneficio? Similiter quomodo id cum recta ratione cohaerere poterit, ut ad regendam Archi Dioecesim Metropolitanam per Magnum Ducatum Lithvaniae extensam, cujus regimen mihi reservatum, sim capax, et Kijoviensis, atque Vladimiriensis indigeat omnino Administratoribus? Imo, quod plus est, in his etiam Dioecesibus possim non nulla mihi reservata exercere, non autem similia aut minora. Plura mihi adhuc dolor suppeditaret, sed ista hoc loco praetermittendo quo ad hanc categoriam concludo, quod nisi per Reversales Literas Ill.mi DD. Coadjuto-

²⁷⁰ Cfr. supra, nr. 88-91, de anno 1768.

res a titulo Administratorum recesserint, et per easdem jurisdictio supra capitulum, uti jure Communi a Vicariis in spiritualibus exemptum, jus institutionum, et convocandae Synodi Dioecessanae, propter annexam circa hos actus juramenti subjectionis praestationem, et renovationem, nec non extraditionis literarum dimissorialium, ex ratione absolutionis a Lege Dioecessana, et juramento pariter subjectionis, et denique disposita pensione ex Dioecesi pro Ministris contribui solita, expresse mihi reservabitur, in traditionem Jurisdictionis Illustrissimis Dominis Coadjutoribus ut ea, mediante consensu meo, et promulgatione foret legitima, resolvi me non potero.

Postremo, quod ad punctum pensionis Illustrissimis Dominis Coadjutoribus declaratae, iam toties me facilem, et promptum declaravi, omnique modo securitatem ejusdem stipulare promitto. Dummodo Excellentia Vestra Illustrissima Rev.ma satisfactioni mearum praetensionum aequae securum provideat medium; quin imo, attenta applicatione Ill.mi Domini Coadjutoris Vladimiriensis penes se residentiam ipsi, aliasque commoditates non denegabo.

Exorbitantiae Militum in dies magis magisque augmentur, praeterquam enim (f. 51) quod bona arbitramento Compromissoriali in summa decem millium invadiata occuparunt, unum etiam, ad alia praedia transeundo, segetes, pecora, nihil in fundo relinquendo, ad propinquos D. Coadjutoris Vladimiriensis evexerunt, et traduxerunt, Proventus tabernarios, et censuales emunxerunt, devastatisque omnibus Episcopatus Vladimiriensis praediis, etiam Residentiae meae non parcunt similia attentando. Oeconomum quoque meum sine ulla causa aresto manciparunt, quem cum aliquoties requisiverim, ac tandem ipsemet ad Directorem Militiae veniendo, ex praedicto aresto eliberare voluerim, praemissi Milites postremi ordinis, Pocztowi nuncupati, non parcendo dignitati, et characteri Episcopali, aetatique meae protruserunt. Ratione quorum omnium publicae quaerelae, et manifestationes factae luculentius Publicum, et Excellentiam Vestram Ill.mam Rev.mam brevi edocebunt. Porro, has quaerelas nunc non nisi contra quendam Presbyterum Turkiewicz vocitatum dioecesis Luceoriensis, has omnes violentias (ut ipsimet milites se excusando perferunt) attentare mandantem, et directorem eorundem militum facio, similes etiam successive per omnia Acta publica divulgandas contra Primarios Authores istius persecutionis factururus, nisi a proposito hoc atque indiscreta mihi praestanda molestia, et periculum vitae meae machinandi desisterent.

Quamvis mox enumeratae exorbitantiae quo ad suam gravitatem, et illatas mihi molestias satis sint notabiles, nihilominus majores adhuc primis diebus mensis maii inferendae comminantur, scilicet quod omnia

praedia Episcopatus Vladimiriensis in dispositionem militum sint cessura. Iste rumor etsi excedit omnem credibilitatem apud honestos, sed mihi experto praebet occasionem quatenus ad Excellentiam Vestram Illustrissimam Reverendissimam, uti prudentia, et justitia enitentem faciam recursum, ne hujusmodi rumorem verificari patiatur, illamque lumini rationis insitam regulam, afflicto non addas afflictionem, laedi permittat.

Cum obligatio reddendae relationis Sanctae Sedi Apostolicae de statu Dioecesium, Regimini meo subjectarum, etiam juxta conventiones nobiscum initas penes meam ordinariam auctoritatem remansit, cumque ad eam conficiendam aptior occasio alio, quam convocatae Synodi Dioecesanæ tempore dari nequeat, ex praemisso motivo extradere pro dicta Synodo instrumenta demandavi, praesertim cum insuper *idem* jus auctoritati meae ordinariae, Professionis Fidei, et juramenti subjectionis a Dioecesanis praestandi renovatio, circa hunc actum in Pontificali praescripta, privative reservet, et adstruat, nihilominus praedicta jura mea cum humanitate, et obligatione quae etiam Ill.mum D. Coadjutorem meum Vladimiriensem non solum qua Episcopum erga Metropolitam, verum etiam specialiter qua Coadjutorem erga suum Coadjutum afficit, combinando, literis meis de die 16 praesentis datis eundem invitavi quatenus pro termino, et loco designatae Synodi, videlicet 1ma Maii juxta vetus Calendarium (f. 51v) Kupieczowiae suam quoque praesentiam mihi donare, consilioque prodesse non gravetur. Ad hanc epistolam recepi stylo quidem, non autem re ipsa, conveniens responsum. In quo agnoscit Ill.mus D. Coadjutor suam obligationem, non tamen ipsam secundum requisitionem meam exequi promittit, intendendo omnino frustrare edicta mea, et per id vilipensioni exponere Auctoritatem meam, et non solum propriam conscientiam, verum etiam totius Cleri pro non observatione Legis Dioecesanæ inonerare. Super eo antequam in tempore praevidendo indemnitati jurium meorum publice conquerar, rem totam prius exponendam esse Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae existimavi, sperando quod pro sua procedentia pro praemissis circumstantiis circumspectum providebit Ill.mo Domino Coadjutori Vladimiriensi consilium.

Ex Ukraina mihi deferunt quod non Uniti iterum Presbyteros nostros arestis mancipare inchoarunt, uti in effectu cum Admod. Reverendis Wizerski Kanioviensi, Bielawski Korsunensi, Rezworowski Braclaviensi Decanis, Lwowicz Ruzynensi et Iancewicz Fastoviensi Parochis executi sunt. Illustrem Zablocki, Officialem Foraneum Braclaviensem pariter capere voluerunt, nisi se fuga ad me salvaret, quem modo cum A. R. Gliniski, Instigatore Kijoviensi, ad Dominum Generalem Szyrkow mitto, expostulando, quatenus supra scriptos incarceratos dimittere injungat. Iam vero pertimescentibus violentias Literis salvi conductus securitatem red-

at, similisque Parochis in Bonis Mensae Metropolitanae Didwoszczynna nuncupatis existentibus, cum quibus eodem modo procedere et schisma ibi introducere gloriantur non Uniti, concedere dignetur. De Ill.mo Rylo quid in Ukraina operatur, et ubi sit, neque ab ipso, neque ex parte notitiam certam habeo.

Ad has omnes cathogorias resolutionem exposcendo, maneo cum distinctissimo cultu et veneratione

Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae addictissimus et humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Arch.Ep.pus Metrop. t. Russiae (mp).

Non credat Excellentia Vestra Coadiutoribus qui circumscribunt me falsissime et lucrantur ex bonis meis et bona devastant cum consaguineis suis.

241.

Kupieczovia, 22. IV. 1774.

Certiorat de suspensione a divinis cuiusdam sacerdotis.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 54.

Copia Literarum ab Illustrissimo Domino Metropolitano ad Admodum Reverendum Modliszewski Decanum Ovrucensem die 22 Aprilis 1774 anno Kupieczovia scriptarum.

Ad. Reverende Domine Decane. Pax Christi.

Scripsi multoties ad Dominationem de opere facto R. Kondratowicz munus Cappellaniae apud me obeuntis, quod absque scitu et licentia mea discessit de Kupieczow, et misi una eidem suspensionem a Divinis ne audeat Missam celebrare aut ulla sacramenta administrare, etiam et frater illius ne audeat ullam ei dare protectionem, imo neque Residentiam Plebanalem admittatur. Sed Dominatio Vestra una cum Fratre Reverendi Kondratowicz expediat illum ad me, quatenus omnino adveniat, commendo.

Adm. Reverendae Dominationis Vestrae intimus Pastor

F. WOŁODKOWICZ

242.

Kupieczovia, 23. IV. 1774.

Litterae circulares Metropolitanae, quibus conceditur Antonino Mlodovskyj iurisdictio vicaria in spiritualibus in eparchia Volodimiriensi.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, f. 41-44; fol. 161-163v; f. 55-57 (typ. ed.)

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 11, fol. 840-842 (typis ed.)

Anno Domini Millesimo Septingentesimo Septuagesimo Quarto Die vero Iovis Vigesima Quarta Mensis Aprilis V. S., Kupieczoviae.

Ex Mandato Ill.mi, Excell.mi et Rev.mi Domini Feliciani Philippi Wolodkowicz, Archiepiscopi Metropolitanus Kijoviensis, Halicensis et totius Russiae, Protothronii Episcopi Vladimiriensis et Brestensis, Kijovo Peczarensis Archimandritae, Actis praesentibus Curiae Episcopalis Vladimiriensis ingrossatae sunt Literae Circulares infrascriptae jurisdictionem in spiritualibus vicariam favore Ill.mi et Rev.mi Antonini Mlodowski Episcopi Brestensis Coadjutoris Vladimiriensis promulgatoriae, tenoris sequentis: ²⁷¹

Felicianus Philippus Wolodkowicz Dei et Apostolicae Sedis Gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis et totius Russiae, Protothronius Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, Kijovo Peczarensis Archimandrita. — Universo Clero et Populo in Dioecesi Nostra Vladimiriensi et Brestensi reperibili et praesertim Illustribus et Admodum Reverendis Officialibus, Decanis, Parochis, eorumque Vicariis, Ecclesiarum vacantium Administratoribus tenore praesentium significamus.

Quod Concordiae Nos inter et Ill.mum Rev.mum Antoninum Mlodowski Episcopum Brestensem et Coadjutorem cum Successione Vladimiriensem Varsaviae die 28 Novembris 1772 anno conscriptae insistentes, ratihabitis et ratificatis iis omnibus quae in dicta Concordia et praesertim Articulo Quarto, Quinto, Septimo, Undecimo et aliis sparsim ad nostrum constituta sunt et reservata, et quorum laesio effectuationi ejusdem Concordiae hactenus obstiterat et in posterum obstare posset, nec non ad ea quae vicissim in favorem praedicti Ill.mi Rev.mi Coadjutoris Nostri Vladimiriensis in praemissa Concordia magnanimitate non minus et liberalitate Nostra pollicita et concessa extitere, aciem mentis nostrae convertentes, praecisa omni (f. 41v) mora et ulteriori dilatione, alte memoratum Ill.mum Rev.mum Antoninum Mlodowski, Episcopum Brestensem et Coadjutorem Vladimiriensem, iam alias in Vicarium Nostrum in Spiritualibus pro utraque Dioecesi, Vladimiriensi scilicet et Brestensi sibi invicem canonice unita deputatum, electum et constitutum, Vobis suprascriptis promulgandum, eidemque de jurisdictione Nostra Ordinaria facultates infra expressas committendas realiterque et in effectu tradendas esse duximus, uti quidem, revocatis quibuscunque in contrarium hactenus ex Cancellaria Nostra editis Instrumentis, promulgamus, et ipsi plenam et omnimodam potestatem, omnes et singulas causas, lites, quaestiones et contro-

²⁷¹ Cfr. concessionem de anno 1768, die 20.XII, et die 15.I.1769, nec non cfr. concordiam de die 28.II.1772.

versias, Beneficiales, Matrimoniales, prophanas, criminales, spirituales, temporales et mixtas ac quascunque alias etiam similes inter quascunque personas ecclesiasticas et saeculares, Collegia, Conventus, Oppida et Universitates, etiam contra regulares extra claustra degentes, quacunque ratione, titulo vel occasione hactenus exortas et quae in posterum exoriri poterunt, ac quarum cognitio ad nos de jure, consuetudine vel alia quavis ratione tam ex dispositione canonica quam uti et tanquam ad Sedis Apostolicae delegatum (quas omnes et singulas hic pro sufficienter expressis haberi volumus) et quascunque alias tam principales quam incidentes quomodo cunque devolutas et in posterum devolvendas, dictae autem Vladimiriensi Dioecesi et jurisdictioni nostrae ordinariae spectantes et pertinentes audiendi, cognoscendi, decidendi debitoque fine terminandi, et in illis tam per viam accusationis, denuntiationis et inquisitionis ad instantiam partis etiam privatae Personae seu Promotoris Nostri Fiscalis sive quarumcunque personarum, quam etiam ex officio quae Nostrae Ordinariae subiacent jurisdictioni et in quibus jus Nobis competit procedendi et procedi faciendi, nec non agendi, inquirendi, iudicandi, sentiendi, puniendi, mulctandi, ac omnia et singula alia contra clericos saeculares quam alias quascunque etiam exemptionem praetendentes privilegiatas sive titulis quibuscunque honorariis insignitas et decoratas personas, iis duntaxat quae Capitulum nostrum Cathedrale constituunt exceptis, in omnibus, in quibus quo ad dictum Vicariatum Officium in Spiritualibus tam de jure quam consuetudine vel alias quomodocunque et qualitercunque pertineat gerendi et exequendi, ipsosque delinquentes perpetuo vel ad tempus, secundum quantitatem et qualitatem excessus seu delicti, servata nihilominus forma in Sacro Concilio Tridentino praescripta, ab eorum officiis, beneficiis suspendendi, interdicendi, et privandi, easdemque paenas revocandi, commutandi, (f. 42) mitigandi sive moderandi, Beneficiumque restitutionis in integrum concedendi, quascunque Ecclesias, Monasteria, Seminaria, Xenodochia aliaque loca populum ac personas ratione dicta Dioecesi Nostrae subditas et subdita, per se vel per alios ad id omnino idoneos visitandi, corrigendi et reformandi toties quoties opus fuerit et prout juris ordo et canonica dispositio atque legitima consuetudo dictaverit, personas ad statum ecclesiasticum aspirantes sentiendi, examinandi, eisdemque literas habilitatis et commendatitias ad juris Patronos dandi, ad Ordines Minores et Sacros Majores, servatis servandis promovendi, ordinationes etiam dispensatis, si utilitas Ecclesiae et recta postulaverit ratio, interstitiis faciendi, Ecclesias, Cappellas consecrandi et alia omnia Pontificalia in universa Vladimiriensi Dioecesi Nostra exercendi, non tamen licentiam Pontificalium aliis Episcopis sive Praelatis usum eorundem legitime habentibus impertiendi, Beneficia cu-

rata justa de causa, juxta praescriptum S. Concilii Tridentini uniendi, sive dismembrandi. Resignationes tam ex causa permutationis, quam simpliciter faciendas, de quibuscunque Beneficiis et Officiis a quibuscunque personis recipiendi et admittendi, testamenta, codicillos et ultimas voluntates, prout de jure, approbandi et in eis ac aliis contractibus quibuscunque Authoritatem in Spiritualibus Vicariam interponendi, censuras ecclesiasticas ferendi, excommunicatos suspensos et interdictos a jure in casibus nobis permissis absolvendi, super denuntiationibus seu bannis ad contrahendum matrimonium ex causa legitima dispensandi, illis tamen ante matrimonii consumationem, ad formam Literarum Apostolicarum novissime editarum, proponendis, matrimonium autem contractum tempore prohibito permittendi, absente vel legitime praepedito aut magis moroso proprio Parocho alium Presbyterum, in Literis substitutionis de nomine et cognomine specificandum, ad assistendum Matrimonio ex gravi et legitima causa substituendi, a casibus quibuscunque Sedi Nostrae reservatis absolvendi, et illis Confessariis facultatem (f. 42v) absolutionis subdelegandi, in irregularitatibus tamen non nisi occultis, Nostraeque ordinariae jurisdictioni spectantibus dispensandi, licentiam ingrediendi Monasteria Monalium, in casibus et pro personis a jure designatis, concedendi, in Congregationibus Dioecesanis, Nostris Instrumentis indictis, praesidendi, aut Praesidem in sui locum deputandi, et in illis super observatione statutorum inquirendi, atque pro necessitate novas ordinationes, praehabito nihilominus Nobiscum consilio, et salva approbatione nostra, statuendi, Beneficiis vacantibus Administratores et Commendarios providendi, eosque revocandi, Coadjutores Rectoribus Parochialium imperitis et infirmis dandi, Fundationes novas, dummodo sufficientes et congruas admittendi, locationes bonorum vulgo Arendas, servatis de jure servandis, approbandi, pias Testatorum voluntates exequendi, easque in casibus prout de jure commutandi, post intestatos clericos juxta praescriptum juris disponendi, summas Ecclesiarum, Beneficiorum, Monasteriorum et piorum locorum censuales ad effectum deportandi et in alia bona transferendi consensum praebendi, in alienationibus tamen ad formam Sacrorum Canonum authoritatem praestandi et Decretum interponendi, Literas Monitoriales in forma « significavit » pro rebus deperditis et clam subtractis concedendi, Clericos ad testimonium coram quovis judicio saeculari, non tamen in causis criminalibus nec contra personas ecclesiasticas perhibendum, dispensandi, supplicationes publicas extraordinarias pro aliqua gravi necessitate indicendi, literas Apostolicas Nobis directas seu dirigendas cumulative aperiendi et exequendi, indulgentias a Sede Apostolica in perpetuum vel ad tempus concessas aut concedendas admittendi et publicandi, voluntatem puellarum habitu religioso vestiri, sive monasticam

vitam profiteri cupientium explorandi, Confessarios saeculares sive regulares monialium examinandi, ad tempus approbandi, et facultatem eis a se non autem a nobis concessam revocandi, concionatores approbandi eosque legitima ex causa suspendendi, facultatibus a Sede Apostolica Nobis omni quinquennio concedi solitis, impetrata a Nobis (i. 43) subdelegatione utendi, libros imprimendos vel reimprimendos praevia theologorum censura approbandi, Actuarios, Defensores Causarum Matrimonialium, Promotores Fiscales, Decanos, Vice Decanos, Cleri examinatores et instructores ac reliquos quoscunque ad rectum Dioecesis regimen necessarios ministros, toties quoties opus fuerit, antepositis caeteris paribus personis dioecesanis, et praehabito caeteroquin suffragii nostri respectu constituendi, eosque legitima de causa amovendi, aliaque omnia super praemissis necessaria faciendi, gerendi, statuendi, ordinandi et exequendi quae legitime Generales in Spiritualibus Vicarii, tam de jure communi quam consuetudine, facere, exercere, statuere et ordinare possint ac valeant, et quae tam ad voluntariam contentiosam jurisdictionem et ad Forum sive judiciale sive paenitentiale spectant et pertinent, alias ea universa sub nomine et sigillo propriis, sub expresso tamen Vicarii nostri in spiritualibus generalis titulo gerendi et faciendi, dummodo non sint sequentia, quae citra clausulas et conditiones superius appositas Nobismet ipsis mature et solemniter reservamus, videlicet: Potestatem fundandi de nova radice utriusque sexus Monasteria, reformandi Tabellas Cathedralitici olim stabilitas, Pensiones a Dioecesanis contribui solitas in sustentationem Ministrorum nostrorum convertendi, subsidia charitativa extraordinaria a Clero petendi et exigendi, Clericos in sacris positos solenniter degradandi, antimensia et olea consecrandi, publicas indulgentias largiendi, causas super Regularium sive Professione sive appellatione cognoscendi, consuetamque Sedi Apostolicae de statu Dioecesis Nostrae relationem transmittendi, Officiales seu Vicarios Foraneos Praelatosque et Praebendarios Cathedrales instituendi, presbyteros in bonis Mensae Episcopalis existentes (quos nobis immediate subesse volumus) praesentandi, et eosdem atque omnes et singulos Dioecesanos habiles repletos ad vacantia canonice Beneficia, ob annexam juramenti subjectionis Nobis praestari soliti obligationem instituendi, jam vero ad aliam Dioecesim transire volentibus Literas dimissorias etiam sine reditu concedendi, ipsosque a Lege Dioecesana et juramento subjectionis nobis praestito absolvendi, uti etiam alienos (f. 43v) subditos ad Dioecesim Nostram admittendi, Causas a Sancta Sede Apostolica seu alio altiori subsellio ad Ordinarium loci remissas cognoscendi et debito fine terminandi. In quibus taliter reservatis ad Nos immediate recursus fieri, Nobisque quolibet anno exacto Dioecesis Nostrae relatio ab Ill.mo Rev.mo Vicario in Spiritualibus

Nostro Generali in scriptis transmitti omnino debet. In reliquis omnibus et singulis, etiamsi hoc loco non sint enuntiata, dummodo de jure communi et consuetudine Vicariis Generalibus recte competant neque inter superius reservata includantur et Autoritati ac praesentiae Nostrae nec in minimo praejudicent, semel et pro semper omnem plenam et omnimodam vicariam potestatem et jurisdictionem, seclusa omni revocatione, quatenus tamen articulis Concordiae supra memoratis laesio facta et per actus violentos attentata purgetur et reparetur (quod pro essentiali conditione praesentium haberi volumus), committimus realiterque et in effectu tradimus in Dei nomine per praesentes.

Quocirca universo Dioecesis Nostrae Vladimiriensis et Brestensis Clero ac populo in virtute Sanctae Obedientiae mandamus, quatenus Ill.mum et Rev.mum Antoninum Mlodowski, Episcopum Brestensem Coadjutorem Nostrum Vladimiriensem sic ut praemissum est a Nobis in Vicarium in Spiritualibus Generalem electum, constitutum et deputatum, post fundatam ab eodem ad tenorem Praesentium Literarum Nostrarum prout de jure jurisdictionem, pro vero ac legitimo Nostro in Spiritualibus Vicario recognoscant, eidemque in omnibus juxta facultates superius enarratas, salvis dumtaxat reservationibus et clausulis nominatim expressis, obediant et in praemissis ad Ipsum recurrant, omnibus ipsius dispositionibus et judicatis ex vi Facultatum Nostrarum supra expressarum legitime emanatis pareant, et, quamvis per easdem gravatos se fere praetenderent, salvo dumtaxat ad Tribunal Nostrum Metropolitanum recursu, minime autem ad Ordinarium provocare valeant. Quae omnia et singula, ut ad omnium notitiam devenire possint, praesentes manu Nostra subscriptas et sigillo majori communitas, (f. 44) solita praxi et cursoria per Universam Dioecesim Nostram Vladimiriensem Admodum Reverendis Decanis publicare iniungimus.

FELICIANUS, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae,

Protothronius Ep.pus Vladimiriensis et Brestensis mp. (L.S.)

Datum in Residentia Nostra Kupieczoviensi, die 23 mensis Aprilis j.v. calend., anno Domini 1774.

Post quarum Literarum circularium Actis praesentibus ingrossationem originale retro ad manus Ill.mi Excell.mi Domini est redditum.

Ex Actis Curiae Ep.palis Vladimiriensis et Brestensis extractum, et sigillo Ill.mi, Excell.mi et Rev.mi Domini Feliciani Philippi Wolodkowicz, Archiepiscopi Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis et totius Russiae, Protothronii Ep.pi Vladimiriensis et Brestensis, Kijovo Peczarensis Archimandritae communitum.

STEPHANUS DMITROWICZ Ordinarius Instructor et Curiae

Ep.palis Vladimiriensis et Brestensis substitutus Notarius. (mp).

Alia copia typis impressa habetur in fol. 70-71. quae sic concluditur:

Decanis publicare iniugimus. Caeterum cum ea omnia, quae in Concordia continentur, eorumque executio iudicio Sacrae Nuntiaturae reservata sint, ideo si quando contigerit, nos ex publicatione harum Litterarum in aliquo laesos vel gravatos esse, Nobis recursum reservamus ad eandem S. Nunciaturam, cuius Auctoritati ac definitivae sententiae nos submittimus. Datt.

243.

Kupieczovia, 23. IV. 1774.

Adnotationes ad litteras Metropolitanæ concedentes iurisdictionem vicariam Antonino Mlodovskyj.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 77.

Andotata in Litteris ab Ill.mo Metropolitanæ totius Russiae expeditis die 23 Aprilis 1774.

1. Ill.mi Coadjutores Vicarii tantum appellantur.
2. Revocantur Litterae ab Ill.mo Metropolitanæ promulgatae contra executionem Concordiae.
3. Reservat sibi Fiscalem in Tribunalibus Ordinariis deputandum.
4. Eximit a iurisdictione Vicariorum Capitulares Cathedralis Vladimiriensis.
5. Reservat sibi jus convocandi Clerum in Congregationibus ordinariis etiam.
6. Reservat sibi jus praebendi consilium in Officialium electionibus.
7. Reservat sibi iurisdictionem ordinariam in Presbyteros in (f. 77v) propriis bonis et Parochiis degentes.
8. Reservat sibi jus decidendi causas ad Ordinarium Loci remissas.
9. Reservat sibi jus concedendi dimissoriales Presbyteris discendentibus.

244.

Kupieczovia, 23. IV. 1774.

Litterae Metropolitanæ concedentes Leoni Szeptyckyj iurisdictionem vicariam in spiritalibus in Metropolia Kioviensi.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 59-g2.

FELICIANUS ETC.

Universo Clero et populo in Archi Dioecesi nostra Metropolitana Kijo-

viensi per Palatinatum Kijoviensem et Braclaviensem extensa reperibili, et praesertim Illustribus et Admodum Reverendissimis Officialibus, Decanis, Parochis, eorumque Vicariis, Ecclesiarum vacantium Administratoribus tenore praesentium significamus.

Quod Concordiae Nos inter Ill.mum Rev.mum Leonem Szeptycki Episcopum Leopoliensem et Coadjutorem nostrum cum successione Metropolitanum, Varsaviae die 28 Novembris 1772 anno conscriptae,²⁷² insistentes, ratihabitis et ratificatis iis omnibus quae in dicta Concordia et praesertim Articulo Quarto, Quinto, Septimo, Undecimo, et aliis sparsim ad favorem nostrum constituta sunt et reservata, et quorum laesio effectuati ejusdem Concordiae hactenus obstiterat et in posterum obstare posset, nec non ad ea quae vicissim in favorem praedicti Ill.mi Rev.mi Coadjutoris Nostri Metropolitanus, in praemissa Concordia magnanimitate non minus liberalitate Nostra pollicita et concessa extitere aciem mentis nostrae convertentes, praecisa omni mora et ulteriori dilatione alte memoratum Illustrissimum Reverendissimum Leonem Szeptycki, Episcopum Leopoliensem et Coadjutorem in Metropolia, jam alias in Vicarium Nostrum in Spiritualibus, pro Archidioecesi Metropolitana per Palatinatum Kijoviensem et Braclaviensem extensa deputatum, electum, et constitutum, vobis supra scriptis promulgandum, eidemque de jurisdictione Nostra ordinaria facultates infra expressas committendas, realiterque et in effectu tradendas esse duximus, uti quidem, revocatis quibuscunque in contrarium hactenus ex Cancellaria Nostra (f. 59v) editis instrumentis, promulgamus; et ipsi plenam ac omnimodam potestatem omnes et singulas causas, lites, quaestiones et controversias Beneficiales, Matrimoniales, Profanas, Criminales, Spirituales, Temporales, et mixtas, ac quascunque alias etiam similes inter quascunque personas ecclesiasticas et saeculares, Collegia, Conventus, Oppida et Universitates, etiam contra Regulares extra claustra degentes, quacunque ratione, titulo, vel occasione hactenus exortas, et quae in posterum exoriri poterunt, ac quarum cognitio ad Nos de jure, consuetudine, vel alia quavis ratione tam ex dispositione canonica, quam uti et tanquam ad Sedis Apostolicae Delegatum (quas omnes et singulas hic pro sufficienter expressis haberi volumus) et quascunque alias tam principales, quam incidentes, quomodocunque devolutas et in posterum devolvendas, dictae autem Archi-Dioecesi et Jurisdictioni Nostrae Ordinariae spectantes et pertinentes, audiendi, cognoscendi, decidendi, debitoque fine terminandi, et in illis tam per viam accusationis, denuntiationis, et inquisitionis, ad instantiam partis etiam

²⁷² Cfr. similia documenta supra, sub nr. 88-89 et 146.

privatae personae seu Promotoris Nostri Fiscalis, sive quarumcunque personarum, quam etiam ex officio, quae nostrae ordinariae subjacent iurisdictioni, et in quibus jus nobis competit, procedendi, ac procedi faciendi, nec non agendi, inquirendi, judicandi, sententiandi, puniendi, mulctandi, ac omnia et singula alia tam contra Clericos Saeculares, quam alias quascunque etiam exemptionem praetendentes privilegiatas, sive titulis quibuscunque honorariis insignitas et decortas personas, in omnibus in quibus quo ad dictum Vicariatus Officium in Spiritualibus, tam de jure, quam consuetudine, vel alias quomodocunque et qualitercunque pertineant, gerendi et exequendi, ipsosque delinquentes perpetuo, vel ad tempus secundum quantitatem et qualitatem excessus seu delicti, servata nihilominus forma in sacrosancto Concilio Tridentino praescripta, ab eorum officiis seu Beneficiis suspendendi, interdicendi, et privandi, easdemque paenas revocandi, commutandi, mitigandi, sive moderandi beneficiumque restitutionis in integrum concedendi. Quasunque Ecclesias, Monasteria, Seminaria, Xenodochia, aliaque loca, Populum ac personas ratione dicta Dioecesi Nostrae subditas et subdita, per se vel per alios ad id omnino idoneos, visitandi, corrigendi, et reformandi, toties quoties opus fuerit, et prout Iuris ordo et Canonica dispositio atque legitima consuetudo dictaverit; Personas ad Statum Ecclesiasticum aspirantes seligendi, examinandi, iisdemque literas habilitatis et commedatitias ad juris Patronos dandi, ad Ordines Minores et Sacros Majores servatis servandis promovendi, Ordinationes etiam dispensatis (si utilitas Ecclesiae et recta postulaverit ratio) interstitiis faciendi; Ecclesias, Capellas consecrandi, et alia omnia Pontificalia in Archi-Dioecesi Nostra praedicta exercendi, non tamen licentiam Pontificalium aliis Episcopis sive Praelatis usum eorundem legitime habentibus impertiendi, Beneficia Curata justa de causa, juxta praescriptum Sancti Concilii Tridentini uniendi, sive dismembrandi; Resignationes, tam ex causa permutationis, quam simpliciter faciendas de quibuscunque Beneficiis et Officiis a quibuscunque personis recipiendi, et admittendi; Testamenta, Codicillos, et ultimas voluntates prout de jure approbandi, et in eis ac aliis Contractibus (f. 60) quibuscunque auctoritatem in Spiritualibus Vicariam interponendi, censuras ecclesiasticas ferendi, excommunicatos, suspensos, et interdictos a jure in casibus Nobis permissis absolvendi, super denuntiationibus, seu bannis ad contrahendum matrimonium ex causa legitima dispensandi, illis ante matrimonii consummationem ad formam literarum Apostolicarum novissime editarum proponendis, Matrimonium autem contractum tempore prohibito permittendi, absente vel legitime praepedito, aut magis moroso proprio Parocho, alium Presbyterum in literis substitutionis de nomine et cognomine specificandum ad assistendum Matrimonio ex gravi et legitima causa substituendi,

a casibus quibusunque Sedi Nostrae reservatis absolvendi, et aliis confessorii facultatem absolutionis subdelegandi, in irregularitatibus tamen nonnisi occultis Nostraeque Ordinariae Jurisdictioni spectantibus, dispensandi, licentiam ingrediendi Monasteria Monialium in casibus et pro Personis a jure designatis concedendi, in Congregationibus Dioecesanis, Nostris instrumentis indicendis, praesidendi, aut Praesidem in sui locum deputandi, et in illis super observatione statutorum inquirendi, atque pro necessitate novas ordinationes, praehabito nihilominus nobis consilio, et salva approbatione nostra, statuendi; Beneficiis vacantibus Administratores et Commendarios providendi, eosque revocandi, Coadjutores Rectoribus Parochialium imperitis et infirmis dandi, Fundationes novas, dummodo sufficientes et congruas admittendi, Locationes Bonorum, vulgo arendas, servatis de jure servandis, approbandi, pias Testatorum voluntates exequendi, in casibus prout de jure commutandi; post intestatos Clericos juxta praescriptum juris disponendi, Summas Ecclesiarum, Beneficiorum, Monasteriorum, et piorum locorum censuales ad effectum deportandi, et in alia bona transferendi, consensum praebendi; in alienationibus tamen ad formam Sacrorum Canonum auctoritatem praestandi, et Decretum interponendi, Literas Monitoriales in forma « Significavit », pro rebus deperditis et clam substractis concedendi. Clericos ad testimonium coram quovis judicio saeculari, non tamen in causis criminalibus, nec contra Personas Ecclesiasticas perhibendum dispensandi, supplicationes publicas extraordinarias pro aliqua gravi necessitate indicendi, Literas Apostolicas Nobis directas seu dirigendas cumulative aperiendi, et exequendi, Indulgentias a Sede Apostolica in perpetuum, vel ad tempus concessas aut concedendas admittendi et publicandi, voluntatem puellarum habitu Religioso vestiri, sive monasticam vitam profiteri cupientium explorandi; Confessarios saeculares sive Regulares Monialium examinandi, ad tempus approbandi, et facultatem eis a Se non autem a Nobis concessam revocandi, Concionatores approbandi, eosque legitima ex causa suspendendi, facultatibus a Sede S. Apostolica Nobis omni quinquennio concedi solitis, impetrata a Nobis subdelegatione utendi, libros imprimendos vel reimprimendos praevia Theologorum censura approbandi, Actuarios, Defensores Causarum Matrimonialium, Promotores Fiscales, Decanos, Vice-Decanos, Cleri examinatores ac Instructores, ac reliquos quoscunque ad rectum Archidioecesis regimen necessarios Ministros, toties quoties opus fuerit, de Personis Archi-Dioecesanis, et praehabito caeteroquin suffragii nostri respectu constituendi, eosque (f. 60v) legitima de causa amovendi, aliaque omnia super praemissis necessaria faciendi, gerendi, statuendi, ordinandi et exequendi, quae legitime Generales in Spiritualibus Vicarii tam de jure communi, quam consuetudine facere, exer-

cere, statuere et ordinare possint, ac valeant, et quae tam ad voluntariam, quam contentiosam jurisdictionem et ad forum sive iudiciale, sive poenitentiale spectant et pertinent, alias ea universa sub nomine et sigillo propriis, sub expresso tamen Vicarii Nostri in Spiritualibus Generalis titulo gerendi et faciendi, dummodo non sint sequentia, quae citra clausulas et conditiones superius appositas Nobismet ipsis mature et solemniter reservamus, videlicet: ad tenorem articuli 11mi Concordiae omnia et singula iura Metropolitana tam jurisdictionalia, quam honorifica, de Ordinariis autem potestatem fundandi de nova radice utriusque sexus Monasteria, reformandi tabellas Cathedratici olim stabilitas, pensiones, praeter Cathedraticum a Clero contribui solitas in sustentationem Ministrorum Nostrorum convertendi, subsidia charitativa extraordinaria ab eodem Clero petendi et exigendi, Clericos in Sacris positos solemniter degradandi, Antimensia et Olea consecrandi, publicas Indulgentias largiendi, casas super Regularium sive professione, sive appellatione cognoscendi; consuetamque Sedi Apostolicae de statu Archi-Dioecesis praedictae Nostrae relationem transmittendi, Officiales seu Vicarios Foraneos creandi, Presbyteros in bonis Mensae Archi-Episcopalis Metropolitanae existentes, quos nobis immediate subesse volumus, praesentandi, et eosdem atque omnes, et singulos Archi-Dioecesanos habiles repertos ad vacantia canonicè Beneficia, ob annexam iuramenti subiectionis Nobis praestari soliti obligationem instituendi; jam vero ad aliam Dioecesim transire volentibus Literas Dimissorias, etiam sine redivo, concedendi, ipsosque a Lege Dioecesana et iuramento subiectionis Nobis praestito absolvendi, uti etiam alienos subditos ad Archi-Dioecesim Nostram admittendi, causas a Sancta Sede Apostolica, seu alio altiori subsellio ad Ordinarium loci remissas cognoscendi, et debito fine terminandi. In quibus taliter reservatis, ad Nos immediate recursus fieri, Nobisque quolibet anno exacta Dioecesis Nostrae relatio ab Illustrissimo Reverendissimo Vicario in Spiritualibus nostro Generali in scriptis transmitti omnio debet. In reliquis autem omnibus et singulis, etiamsi hoc loco non sint enuntiata, dummodo de jure communi et consuetudine Vicariis Generalibus recte competant, neque inter superius reservata includantur, et Authoritate ac Praeeminentiae Nostrae nec in minimo praejudicent, semel et pro semper omnem plenam et omnimodam Vicariam Potestatem et Iurisdictionem, seclusa omni revocatione, quatenus tamen Articulis Concordiae supra memoratis laesio facta et per actus violentos attentata purgetur et reparetur (quod pro essentiali conditione praesentium haberi volumus) committimus, realiterque et in effectu tradimus in Dei Nomine per praesentes.

Quo circa universo Archi-Dioecesis Nostrae Kijoviensis Clero ac Populo in virtute Sanctae Obedientiae mandamus, quatenus Illustrissimum

et Reverendissimum Leonem Szeptycki, Episcopum Leopoliensem, Coadjutorem Nostrum, sicut praemissum est, a Nobis in Vicarium in Spiritualibus Generalem electum, constitutum, et deputatum, (f. 61) post fundatam ab eodem, ad tenorem praesentium literarum Nostrarum prout de jure jurisdictionem, pro vero ac legitimo Nostro in Spiritualibus Vicario recognoscant, eidemque in omnibus juxta facultates superius enarratas, salvis duntaxat reservationibus et clausulis nominatim expressis, obediant, et in praemissis ad ipsum recurrant; omnibus ipsius dispositionibus et judicatis, ex vi facultatum Nostrarum supra expressarum legitime emanatis pareant, et quamvis per easdem gravatos se fore praetenderent, salvo duntaxat ad Tribunal Nostrum Metropolitanum recursu, minime autem ad Ordinarium provocare valeant; quae omnia et singula, ut ad omnium notitiam devenire possint, praesentes manu nostra subscriptas, et sigillo majori communitas, solita praxi et cursoria per universam Dioecesim nostram Kioviensem Admodum Reverendis Decanis publicare injungimus.

Datum in Residentia Nostra Kupieczoviensi, die vigesima tertia Mensis Aprilis, juxta Vetus Calendarium, anno Domini Millesimo Septingentesimo Septuagesimo Quarto.

FELICIANUS, Archiepiscopus Metrop. totius Russiae (mp).

fol. 62: Minuta per le circolari da publicarsi da Ms. Metropolitana e per stamparsi qui in Varsavia.

fol. 72-73: *Alia copia typis impressa, cum clasula finali, de iure recurrendi.*

fol. 160: *Subsignatum:* Felicianus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitae totius Russiae, Vladimiriensis et Brestensis Epp. (mp).

245.

Vladimiria, 28. IV. 1774.

Iterum conqueritur coram Nuntio Apostolico de gravaminibus sibi recenter illatis a Coadjutore Vladimiriensi.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 74.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,
Domine Patrone Colendissime.

Post expeditam anteriori epistolam, allatae mihi erant Literae Excellentiae Vestrae Illustrissimae Rev. mae de die 7ma praesentis ad me datae, quibus cum ea qua par est reverentia exceptis respondendo, in omnibus ad immediatam epistolam, et in ea expressas propositiones me refero; his autoritatis meae ratione, satis superque a me prospectum est commo-

dum Illustrissimorum Coadjutorum et voluntati Excellensiae Vestrae Illustrissimae Rev.mae id quoque respicienti, plurima motivo duntaxat pacis, et tranquillitatis tolerando, et ea nonnisi, sine quibus Authoritas mea Ordinaria et justitia vim pateretur, specialiter reservando, et praecustodiendo atque haec omnia Excellensiae Vestrae Ill.mae Rev.mae aequitati, et cum respectiva utriusque partis satisfactione resolutioni subjiciendo. Sed uti ex una parte Supremae Authoritatis, et Excellensiae Vestrae Ill.mae Rev.mae respectus inclinatur me ad efectuandas supra expositas propositiones, ita etiam altera ex parte inhumanus mecum procedendi modus Illustrissimi Coadjutoris Vlodimiriensis animum meum avertit, qui cum summo et adusque impracticato jurium et immunitatis ecclesiasticae praepudicio, invocatis et adscitis sibi militibus nullam occasionem, nullamque intermittit moram quibus me acerbissimis non vexaret molestiis. Etenim, praeter recensitas generaliter duntaxat in immediata epistola mihi patratas injurias, similes imo majores etiamnum patrare non desistit. Die hesterna 40 Milites in uno praedio, in quo uti Civitati Vlodimiriae propinquo Cosaci etiam Rossiaci consistentiam semper habent, locavit, et per eosdem Milites ad ultimum hoc praedium devastat, reliqua etiam praedia similiter (f. 54v) depraedare intendendo, alias quidquid extrema nocendi voluntas excogitare potest, attetant, me quoque ad eam intolerantiam omnino incitat, ut vicissim extrema media quaecumque rerum praesentium circumstantiae obtulerint in defensionem meam arripiam, nisi mihi Excellensiae Vestrae Ill.mae Rev.mae prudentia, et aequitas opportunum, et contemporaneum levamen attulerit, in qua etiamnum confisus maneo cum distinctissimo cultu et veneratione

Excellensiae Vestrae Ill.mae et Rev.mae addictissimus et humillimus
Servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. pus Metr. totius Russiae (mp).

Die 28 Aprilis 1774 anno, Vlodimiria.

246.

Kupieczovia, 28. IV. 1774.

Litterae circulares Metropolitanae iurisdictionem vicariam Leoni Szeptyckyj concedentes ingrossantur in Actis Curiae Metropolitanae. Cfr. sub dat. 23. IV. 1774.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 75-76-79-80.

Anno Domini Millesimo Septingentesimo Septuagesimo Quarto. Die vero Lunae vigesima octava Mensis Aprilis V.S., Kupieczoviae.

Ex mandato Ill.mi Excell.mi et Rev.mi Domini Feliciani Philippi Wolodkovicz Archi Episcopi Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis et to-

tius Russiae, Protothronii Episcopi Vladimiriensis et Brestensis, Kijovo Peczerensis Archimandritae, Actis praesentibus Curiae Archi-Episcopalis Metropolitanae totius Russiae ingrossatae sunt Literae Circulares infra scriptae jurisdictionem in Spiritualibus Vicariam favore Ill.mi et Rev.mi Leonis Septycki, Episcopi Leopoliensis, Coadjutoris Metropolitanus, promulgatoriae tenoris sequentis:

Felicianus Philippus Wolodkowicz Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis et totius Russiae, Protothronius Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, Kijovo Peczerensis Archimandrita.

Universo Clero et Populo... (*segue come ai ff. 59-61 a fine pag. 80*)
Post quarum Literarum Circularium Actis praesentibus ingrossationem retro ad manus Ill.mi Excell.mi D.ni est redditum. ²⁷³

Ax Actis Curiae Archi Episcopalis Metropol. totius Russiae extractum et sigillo Ill.mi Excell.mi et Rev.mi D.ni Feliciani Wolodkowicz Archiepiscopi Metropolitanus etc. ...

SAEPHANUS DMITROWICZ, Gen.lis Ordinandis Instructor et
Examinator, Curiae Archiep.palis Metropol. t. R.
substitutus Notarius, mp.

247.

Kupieczovia, 5. V. 1774.

Transmittit Nuntio Apostolico varia documenta spectantia causam Coadiutorum, nec non in causa incarceratorum Berdyczoviensium.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, f. 98-99.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Constans in me erga Sanctam Sedem Apostolicam respectus praevaluit, ut etiam ingratissimis DD. Coadjutoribus recens praestem Beneficium. Evidens istius propositi mei documentum sunt Literae Circulares ad Clerum et Populum Dioecesis Vladimiriensis et Brestensis emanatae, quibus mediantibus jurisdictionem in Spiritualibus Vicariam Ill.mo Coadjutori meo Vladimiriensi committo, in effectu trado et promulgo cum facultatibus amplissimis, paucis duntaxat Autoritati meae ordinariae reservatis. Cum itaque omne quod mea ex parte est adimpleverim, non modo pari verum longe justiori ratione ab Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma expostulo, quatenus in anterioribus literis meis expositis

²⁷³ Cfr. supra nr. 242, 244.

precibus nunc etiam repetitis deferat, remediaque juris super praetensionibus (quarum ratione actio in Concordia praecustodita est) extradere non deneget, inhaerendo videlicet aliquoties repetitis Declarationibus Sacrae Congregationis Propagandae Fidei, hoc negotium et quaerelas meas prudentiae et aequitati Excellentiae Vestrae Illustrissimae Rev.mae committentibus. Supra recensitae Literae Circulares quamvis me persuasum faciunt quod omnia possibilia praestiti, inconstantia tamen, malevolentia et perfidia ex parte Ill.morum (f. 98v) Coadjutorum tamdiu mihi cognita cautiorem me esse exigeret. Sed ego confisus in iudicio Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae hanc nonnisi apposui conditionem, quatenus Ill.mi Coadjutores ab actibus violentis mihi damnosis et Concordiae praejudiciosis desistant, ampliusque in spretum et vilipensionem jurium et immunitatis ecclesiasticae potentiam saecularem, quae eorum duntaxat voluntati et requisitioni assistat, non adhibeant, alias frangendo fidem experiri debebunt, ut etiam frangatur eisdem. Inhaerendo aliquoties a me repetitis declarationibus in puncto etiam Pensionis Ill.mis Coadjutoribus liberaliter assecuratae, omni meliori modo et practicabili praebebo fidei jussionem, dummodo (donec causa super praetensionibus meis decisa fuerit) arresto, sive alio juris medio aut in parte justa istius pensionis locationi relicta securus efficiat. Super quo prudens, non minus aequum Excellentiae Vestrae Ill.mae Reverendissimae acceptabo iudicium, quod tandem alterutrius partis rationibus plene satisfaceret comprobaretque impartialem et a circumventionem immunem concordiae spiritum, restitueret mihi modum (prout desidero) ad omnes Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae nutus fore promptissimum.

(f. 99) Literas Circulares modo annexis similes etiam favore Illustrissimi Coadjutoris Metropolitanus²⁷⁴ futura posta transmittam, ratione quorum exposco ab Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma consilium, num illae sub approbationem Sacrae Congregationis Propagandae Fidei cedere debeant, quemadmodum priores transactiones istius negotii.

Alegationem meam ad se factam Dominus Generalis Szyrkow humaniter excepit, mandatumque extradidit pro excarcerandis Presbyteris recenter Bialocerkiew locatis, tum etiam Parochis in Bonis Mensae Metropolitanae Didowszczyzna nuncupatis existentibus, atque Illustri Officiali Braclaviensi et Decano Lubarensi salvum conductum non denegavit, prout edocent Literae praedicti Illustris Officialis Braclaviensis ad Procuratorem meum Varsaviensem in originali transmissae eo fine, ut facta interpretatione Excellentiae Vestrae Illustrissimae Reverendissimae exhibeat.

²⁷⁴ Cfr. nr. 244.

In reliquo maneo profundissimo cultu et veneratione
 Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae, Benefactoris Singularissimi
 addictissimus Servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
 totius Russiae (mp).

Die 5 Maii 1774, Kupieczoviae.

248.

Kupieczovia, 12. V. 1774.

In causa sacerdotis Kondratowicz, suspensi a Divinis, ultiores explicationes.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 54.

Copia alterius epistolae ab eodem ad eundem, die 12 Mai 1774 anno,
 Kupieczovia.

Scripsi ad Dominationem et ad R. Kondratowicz Collegam ejus quatenus Reverendum Kondratowicz, anteactum Cappellanum, uti profugum et fidefragum, suspensum et excommunicatum nec ad Beneficium nec ad altare admitteretis, siquidem ob chimeras suas vult esse vagus, elusit locum Cathedralium Vilnesem, modo et me cum profanatione per suam fugam; Insuper ausus injurias attentare acolithis, vestes accepit et non solvit, accepit apud me annuam pensionem quoad essem, recepit accidens quod habuit ex Capellania, tamen, contempta mea dispositione, ausus et praesumpsit referri ad Miniyki, et subici jurisdictioni Partis adversae, ibique quod saliva attulit labiis loqui, et prostituere nos persistit. Ego eum ut literis incumbat adduxi, et promotionem in studiis dedi; Ille vero per chimeram suam talenta in vanum convertit, pro unica pervagatione, seque suspicioni subjecit quod sit malae fidei, non Sanctae Unionis Missionarius. Quapropter Dominationes moneatis ipsum quatenus redeat ad me cum restitutione debiti, ex persolutione pro veste acolithae, et aliis a quibus extorsit. Si sponte sua nolit discedere, tunc Dominationes, adhibito brachio saeculari, reducatis Radomysliam, ubi sit in exercitio spirituali. Non credebam his quae (f. 54v) ad me Reverendus Vilnensis scripserat de chimera ejus, tunc Dominationes illi non dissimulent.

Olea Sacra misi Radomysliam, proficiscamini igitur, et pro suis Decanatibus recipiatis, nec non opus charitativum reddatis Radomysliam et non Miniyki.

F. WOŁODKOWICZ

249.

*Kupieczovia, 18. V. 1774.**Ulteriores explicationes ad Nuntium Poloniae de causa cum Coadiutoribus vertente et de concessione iurisdictionis vicariae nuper extradita.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 102-103.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Humanissimam epistolam Excellentiae Vestrae Ill.mae Reverendissimae ad me datam cum iis quae verbotenus D. Abbati Ratomski sunt communicata ac ab eodem mihi relata combinando, vivacissima singularis erga me Excellentiae Vestrae Illustrissimae Reverendissimae gratiae et favoris percepi documenta, quibus devinctum me esse profiteor ad persolvendas debitas Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae gratias et aeviternam gratitudinem exhibendum. Literae Circulares ad Clerum nuper a me editae etsi aliquam accidentalem a Literis Patentibus praeseferant discrepantiam, cum iisdem tamen in essentialibus atque cum natura et substantia Concordiae optime cohaerent, in quibus ad ampliandas nonnullas reservationes non avido animo restringendarum Illustrissimis Coadjutoribus facultatum sum ductus, sed motivo duntaxat constituendae certae rationis, qua paci et tranquillitati prospiceretur, ulterioribusque praeccluderetur tricis et molestiis; pro exemplo istius propositi mei id adduco quod imprimis Capitulum Cathedrale Vladimiriense, non solum innixus juri communi exemerim, sed etiam ne in posterum (f. 102v) patiar has molestias, quas continuo ex suggestu Ill.mi Coadjutoris Vladimiriensis ejusque praetensa jurisdictione fui perpressus adeo, ut cum publico scandalo neque debitam tanquam Pastor reverentiam neque ad Pontificalem celebrationem assistentiam sine molestia habere potui, idem et de reliquis dicendum. Ut itaque certi limites jurisdictionis praescindentes omnem ambiguitatem et differentias constituentur et jurisdictio Illustrissimorum Coadjutorum me coadjuvaret, non autem jura et auctoritatem meam deprimeret, idcirco in praemissis Circularibus Literis non solum ad enumerationem facultatum commissarum, sed etiam ad explicitam reservationum declarationem procedere debui. Ista sane sincera intentio mea et recto innixa motivo cum prudentissimo Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae judicio haud difficulter est excepta nullam video rationem, ob quam ab Illustrissimis Coadjutoribus in dubium vocari queat, praesertim cum nemini jus suffragetur, ut participans aliquam gratiam praestanti Beneficium gratiam imponat legem; Quamobrem melius suis providebunt rationibus Illustrissimi Coadjutores, si modo in his facultatibus acquie-

rint et in posterum ad hunc finem commissum sibi exercitium jurisdictionis direxerint, ut mihi atque sibi desideratam (f. 103) restituant tranquillitatem, rescindant molestias et se vere Coadjutores non autem jurium et auctoritatis meae depressores exhibeant, eoque modo promptam et benevolam etiam in aliis reservatis delegationem a me promereantur; nunc autem ea omnia quae ipsis praestiti non suae applicationi, sed meo erga supremam auctoritatem atque Excellentiae Vestrae Rev.mae respectui vere atque realiter adscribere debent.

Delatum mihi habeo quod Collegium Episcopale R.L. aliquos facit passus ad infrigendam legem super transitu, a Sancta Sede Apostolica favore hierarchiae et Ritus nostri gratiose constitutam; nondum adhuc plene huic rumori fidem adhibeo, nihilominus Excellentiam Vestram Illustrissimam Reverendissimam praeventive expostulo, quatenus, si res ita se haberet, Nobis etiam rationes suas exponendi permittere dignetur occasionem. Et interim cum profundissimo cultu et veneratione maneo

Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae, Patroni singularissimi Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

250.

Kupieczovia, 18. V. 1774.

De bonis in Turzysk.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 104.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Toto tempore quo bona Turzysk cum attinentiis ab Illustrissimis Osolinskie Palatinis Volhyniae Dignissimis Parentibus Moderni Ill.mi Palatini Podlachiae jure haereditatis suae possidebantur, intaminate vicinam cum iisdem conservari amicitiam, ad hanc etiam cum moderno Ill.mo Palatino Polachiae rescindendam nullam mea ex parte praebui occasionem; nam etsi notos Haebreos ad bonificanda mihi notabilia damna per eos illata jure et justitia mediante adigere intendo, nihil quidquam in hoc meo passu deprehendo quod vel vicinam cum Ill.mo Palatino Podlachiae amicitiam laedere debeat, aut eundem ad tantum strepitum et Judicia Rei publicae Confederatae recursum faciendum provocare mereatur; interim cum idem Ill.mus Palatinus Podlachiae istud negotium ad convenientiora, nempe compositionis amicabilem revocat media auctoritatemque Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae interponit, hoc sane

respectu haud difficilem me habere poterit, quatenus pro possibili et sine iniuria mea atque cum (f. 104v) debita satisfactione hoc negotium terminari possit, dummodo memoratus Illustrissimus Palatinus sua ex parte mentem suam distincte aperiat, et eandem justitiae debitaque damnorum meorum satisfactioni conformet.

Et haec sunt quibus testari cupio, quod Excellentiae Vestrae Ill.mae et Rev.mae consilia prompto accipio animo et quod sim cum profundissimo cultu et veneratione

Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae addictissimus et servus obsequentissimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. Metrop. t. R. (mp).

Die 18 Maii 1774, Kupieczoviae.

251.

Kupieczovia, 25. V. 1774.

De bonis in Turzysk, et de causa cum Coadiutoribus vertente.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 110-111.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.²⁷⁵

Praeterita Cursoria distinctas direxi ad Excellentiam Vestram Ill.mam Reverendissimam literas, negotium ab Ill.mo Palatino Podlachiae expositum concernentes,²⁷⁶ in quibus unice per respectum intervenientis auctoritatis Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae, omnem ex parte sua testatus sum facilitatem, sed cum ad praesens delatum habeam, quod idem Ill.mus Palatinus Podlachiae, tam excessive in protegendis dictis Haebreis procedat, ut etiam honori meo non parcat, aliquomodo ab adoptata voluntate cogor recedere, et Excellentiam Vestram Illustrissimam et Rev.mam rogo, ut Suam auctoritatem amovere dignetur; quatenus scilicet nefandi sceleris furti, et sacrilegii, ratione complicitatis in dictos iudaeos cadentis, et sufficienti convictione atque Decreto Castrensi Vladimiriensi deducti, macula intra eosdem complices atque suos Protectores retineatur.

(f. 119v) In revocando nuper emanato quodam sancito, dextera Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae studia, quam primum mihi innotuerunt, non intermisi praeterita epistola mea debitas referre gratias, omnem-

²⁷⁵ Nuntius Varsaviensis - Josephus Garampi (1772-1775).

²⁷⁶ Cfr. nr. 250.

que testari gratitudinem, quam et praesentibus persolvendo, enixissime Excellentiam Vestram Ill.mam Rev.mam expostulo, quatenus et in ulteriori passu eadem me gratia et favore suis prosequi dignetur. Sancitum quippe mox relatum, non modo iuribus et authoritati meae summo pere injuriosum, sed etiam supremae Sanctae Sedis Apostolicae jurisdictioni, et Excellentiae Vestrae Illustrissimae Rev.mae facultatibus legationis, expresse derogatorium. Cum omnes circumstantias, videlicet qualis est status praesens Rei Publicae nostrae, et quales potissimum personae faciem ipsius representant, matura (f. 111) deliberatione revolveo, minime miror, praedictum emanasse sancitum, longe magis indolere debeo, quod ad hujusmodi iurium et immunitatis ecclesiasticae depressionem ipsaemet personae spirituales concurrant, cooperantur, et praecipui sunt authores.

Litterae Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae eo intuitu et cum admonitione ad Ill.mum Coadjutorem datae, ut ex ejus operibus cerno, non sunt sortitae adaequate effectum. Nam idem continuo se ad depopulanda bona istius Episcopatus praeparat, et postposito pudore, publice de tanto suo ausu gloriatur. Quam ob rem cum praemissam admonitionem Excellentiae Vestrae Ill.mae et Rev.mae aroganter contemnit, me excitat, quatenus pro Remediis opportunis ad refrenandam hanc audaciam, preces meas ad Excellentiam Vestram Ill.mam (f. 111v) Rev.mam interponam.

Post intimata Illustrissimis Coadjutoribus remedia, in causa super reddendo ab iisdem calculo, ad iudicium Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae devoluta, cum documentis quae acquirere potui, his diebus mitto nepotem et Plenipotentes meos Varsaviam. Quod, acsi distinctis forent muniti credentialibus, singulari Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae gratiae, et insimul praedictum negotium meum recommendando, maneo cum profundissimo cultu et veneratione

Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae addictissimus et humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. Metrop. t. Russiae (mp).

Die 25 Maii 1774 anno Kupieczoviae.

252.

Kupieczovia, 27. VI. 1774.

Ingrossatio instructionis Metropolitanae, datae Gregorio Mokrzyckyj, ablegato Metropolitanato Varsaviam, ad tractanda varia negotia.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 143-145.

Actum in Curia Regia Varsaviensi Feria secunda post Festum Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, videlicet die vigesima septima mensis Iunii,

Anno Domini millesimo septingentesimo septuagesimo quarto.

Ad Officium et Acta praes. Castr. Capit. Varsaviensia, personaliter veniens Admodum Reverendus Ioannes Chyzewski, Philosophiae Doctor, Archi Dioecesis Metropolitanae Dioecesis Kijoviensis ordinandorum Instructor, eidem Officio et Actis ejus Instructionem infrascriptam manu Illustrissimi et Reverendissimi Feliciani Wolodkowicz, Archiepiscopi Metropolitanani Russiae, Vlodimiriæ et Brestensis Lithvaniae Episcopi propria subscriptam introcontentam obtulit, et ad ingrossandum in Acta praesentia porrexit. Tenoris talis.

Instructio Perillustri Reverendissimo Gregorio Nysseno Mokrzycki, Prothonotario Apostolico, Cancellario Cathedralis Vlodimiriensis in negotio infra contento ad Illustrissimum, Excellentissimum, Reverendissimum Comitem Garampi, Archiepiscopum Beritensem, in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithvaniae (f. 143v) cum facultatibus Legati de Latere Nuntium Apostolicum Ablegato, data Kupieczoviae die decima quarta mensis Iunii anno praesenti, millesimo septingentesimo septuagesimo quarto.

Primo, postquam supra memoratus Ablegatus Noster Varsaviam feliciter advenerit, ante omnia in prima audientia nomine nostro Ill.mo, Excell.mo, Rev.mo Domino Nuntio Apostolico recognitionem testabitur; secundo, ablegationem suam significabit factam esse principaliter ex motivo Sanciti ab ordinibus Confoederatis editi, bona Mensae Metropolitanae et Episcopatus Vlodimiriensis iure et possessione nostra eximentis et administrationem in Reverendissimos Coadiutores respective transferentis. Tertio, deferet quod praesertim Ill.mus Mlodowski Vlodimiriensis Coadiutor, vigore istius Sanciti bona et praedia Episcopatus Vlodimiriensis nonnulla occupavit, reliqua ad extremum devastat, prout testabuntur manifestationes in Actis Castrensibus Vlodimiriensibus recognitae, et adhuc recognoscendae. Quarto, exponet quod per hanc alte memorati Sanciti procurationem et in sequelam ejusdem attentatorum rationes, laeduntur iura dignitati Metropolitanae atque Episcopali, a Serenissimis Principibus et Sancta Sede Apostolica benigne concessa et servientia nec non per damna ex occasione attentatorum illata evidens tolleraretur injuria. Quinto, pariter exponet, quod praeter personalia praejudicia universalibus Bonis Ecclesiasticis seu earundem immunitati atque iuribus et dominio eminenti Sanctae Sedis Apostolicae supra relata Sanciti procuratio nocivam induceret praxim, et inferret vulnus. Sexto, ex confrontatione contextus articulorum Concordiae cum Sancito (f. 144) deducet quod quamvis sub praetextu effectuandae ejusdem Concordiae istud Sancitum procuratum extiterit, directe tamen et expresse articulum septimum, in quo plenam ac liberam bonorum utriusque Mensae Metropolitanae scilicet et Episcopalis Vlodimiriensis Dispositionem Nobis reser-

vavimus, laedit, quia eorundem bonorum administrationem, praeter spem expectationemque nostram ad solam duntaxat partis adversae instantiam et nudam expositionem, nulla praemissa juridica in respectivo iudicio convictione, in personas Reverendissimorum Coadjutorum transferre intendit, non utendo sed potius derogando auctoritatem Summi Pontificis mox citatum articulum septimum Concordiae approbantis atque supra relatis praepiudiciis occasionem praebendo. Septimo, demonstrabit gratis imputari nobis acsi rescissionem praememoratae Concordiae siquidem etsi non ex ullo debito, sed solum ex magnanimitate, et liberalitate nostra adhuc sub die vigesima tertia mensis aprilis V.S. anno currenti Literas circulares ad universum Clerum et populum Dioecesis Vlodimiriensis et similes sub die trigesima ejusdem pro Dioecesi Metropolitana Kijoviensi edidimus, jurisdictionemque in Spiritualibus Vicariam Reverendissimis Coadjutoribus commisimus, per ingrossationem earundem Literarum Actis Publicis publicavimus, originale ad Sanctam Congregationem Propagandae Fidei direximus, extractum autem Illustrissimo, Excellentissimo Domino Nuntio Apostolico transmisimus, et typis mandare disposuimus, seorsive in puncto designatae pensionis Reverendissimo Coadiutori Metropolitano, exactionem ex Cathedratico Dioecesis Kijoviensis non impedivimus, et distinctim Reverendissimum Coadiutorem Vlodimiriensem per repositionem adhuc sub die (f. 144v) vigesima mensis septembris anno elapso, millesimo septingentesimo septuagesimo tertio, summae adequatae in Castro Vlodimiriensi securum effecimus, quam levare eidem Reverendissimo Coadiutori, quatenus longe maioribus et de iustitia nobis debitis praetensionibus satisfecerit, aut ad minimum submissionem cum sufficienti evictione inscripserit, permittimus, et hoc modo sinceram et efficacem nostram voluntatem atque studium in omni quo ad favores Reverendissimis Coadjutoribus ejusdem Concordiae manutenendae assecuratis, salva duntaxat intergritate et securitate nostra effectuationeque articulorum simultanee nobis favoribilibus satis comprobavimus; porro, si super promulgatione alte dictarum Literarum circularium in tam arcto tempore non executi aliquam oriri anxietatem deprehenderit, nomine nostro assecurabit: Eandem promulgationem brevi tempore publica notitia et testimoniis fide dignis fore confirmandam. Octavo, his itaque expositis, deductis atque demonstratis, idem ablegatus noster faciet ad Illustrissimum, Excellentissimum et Reverendissimum Dominum Nuntium Apostolicum submissam instantiam, quatenus pro officio Legationis Apostolicae, et uti specialiter istius Concordiae Executor, perpensis et cognitis ex occasione procurati Sanciti personalibus nostris injuriis, statui ecclesiastico et immunitati nocivis consequentiis, evidenti articuli septimi Concordiae laesione et iuribus atque auctoritati Sedis Apostolicae

derogatione, sua mediante autoritate, accedentibus tam gravibus motivis, obviando ulteriori bonorum ecclesiasticorum desolationi, consulendo conscientiae (f. 145) Reverendissimorum Coadjutorum per violatam immunitatem ecclesiasticam gravatae, inhibitionem judicalem contra Reverendissimos Coadjutores, ne ipsi praemissum Sancitum acceptare, et administrationem bonorum per Concordiam nobis reservatorum assumere, et ad id alios quosvis subordinare, vel contractibus eadem bona invadere, sub nullitate actuum et gravissimis paenis, tam a jure latis, quam arbitrio suo declarandis, decernere dignaretur. Nono. Praeterea exposcet Illustrissimum, Excellentissimum, Reverendissimum Dominum Nuntium Apostolicum quatenus pro suo erga immunitatem ecclesiasticam zelo (in quo confidimus), autoritatem suam ad Ordines Confaederatos interponere ut seorsivum Sancitum prioris suppressivum emanaret, dignetur, Ejusdemque Consilio ad effectum dispositis suam quoque idem ablegatus noster agendi rationem accomodabit. Quoties autem occurrerint novae graves circumstantiae, in supra relatis facultatibus nostris non expressae, praecavemus, et volumus, ut idem ablegatus ad nos pro resolutione et distinctis facultatibus recurrat. Decimo. Quamvis prudentiam, dexteritatem et fidelitatem ablegati nostri satis perspectam habeamus, nihilominus cum etiam de propensione erga se Perillustris Magnifici Xaverii Wolodkowicz, Dapiferidis Minscensis, nepotis nostri, minime dubitare valeamus, proinde eundem etiam necnon Magnificum Franciscum Jankowski, Regentem Castrensem Brestensem, atque Illustrem Admodum Rev.dum Ioannem Korwin Iachimowicz, Notarium Apostolicum, in numerum Plenipotentiariorum specialium coaptamus, et facultatibus iisdem supra recensitis (f. 145v) praeditos esse volumus.

Quam instructionem et facultates in ea expressas manu nostra subscriptam, et sigillo minori communitam, majoris firmitatis gratia, actis Castrensibus Varsaviensibus sive quibusvis aliis publicis ingrossari permittimus.

Datum ut supra. Felicianus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae, Vladimiriensis et Brestensis Lithvaniae Episcopus, manu propria. Locus Sigilli gentilicii, in cera rubra expressi.

Post cujus quidem instrucionis superius insertae in Acta praesentia ingrossationem, originale ejusdem eidem offerenti via officii sui quietatione est extraditum.

PRUHALA (?) R.

Lectum per Grzegorzewski

f. — Instructionis in Personam Reverendissimi Gregorii Mokrzycki servientis oblata. In Curia Regia Varsav. 1774.

253.

*Kupieczovia, 29. VI. 1774.**Observationes Metropolitanæ de lustratione bonorum Mensarum a Nuntio Apostolico iniuncta.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 149.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Ex Literis Excellentiae Vestrae Illustrissimae, Reverendissimae, et simultanee ferme intimato mihi Rescripto ex Cancellaria Sua emanato, quo ut ad lustranda bona utriusque Mensae Metropolitanæ, et Episcopalis Vladimiriensis nec non Palatii Metropolitanæ Varsaviensis pro parte mea intra terminum quindecim dierum designem Commissarios innotescitum mihi extitit, satis superque edoceor Illustrissimos Coadjutores id unicum curare, quod eorum duntaxat spectat commodum, jam vero quoad articulos Concordiæ favore mei constitutos, non solum executionem illorum retardare velle, sed etiam continuis violentiis ad rescindendam eandem Concordiam præbere occasionem; attamen ego in proposito negotio effectuantur videlicet lustrationis omnem possibilem facilitatem commonstrando, mitto ad Plenipotentes meos Listam nominandorum pro parte mea Commissariorum, et eandem Actis Tribunalis Sacrae Nuntiatuæ inserendam fore, una cum exceptione contra A.R. Turkiewicz, qui sub praetextu nescitur a quo designati Commissarii, cum Militibus omnia praedia Episcopatus Vladimiriensis, prout obloquuntur Manifestationes eo nomine contra ipsum factae, spoliavit, et depredatus est; atque cum aliis opportunis cautelis disponendo, ab Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma exoptulo, ut mediante sua aequanimitate huic instantiae meae per judicialem resolutionem deferre dignetur.

Et cum vigore ejusdem articuli 7mi Concordiæ (cuius executionem Ill.mi Coadjutores praetendunt) plena atque libera dispositio bonorum utriusque Mensae favore mei sit reservata, huic autem per occupationem (f. 149v) sex villarum, et in alia praedia Episcopatus Vladimiriensis Militum introductionem devastationemque Ill.mus Coadjutor Vladimiriensis contravenire praesumpserit, non intermitto hac etiam occasione Excellentiam Vestram Illustrissimam Rev.mam expetendi, quatenus ordinem, justitiam et juris communis dispositionem in exequendo hoc puncto Concordiæ insequendo, ante omnia praemissa attentata purgare demandet, et tandem desideratam ab Ill.mis Coadjutoribus lustrationem effectuari permittat.

Similiter cum etiam causa intuitu praetensionum in Tribunali Sacrae Nunciaturae intentata non postremam partem Concordiae constituat, sperare me licet Excellentiam Vestram Ill.mam Rev.mam uti specialiter deputatum istius Concordiae Executorem, disjudicationem hujus causae acceleraturam, ad quem finem meas quoque jungendo preces, maneo cum propensissimo cultu et veneratione

Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae addictissimus, obseq.mus et humillimus Servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Die 29 Iunii 1774 Anno, Kupieczovia.

254.

Kupieczovia, 1. VII. 1774.

Conqueritur cum Coadiutore Volodimiriensi de defectu obedientiae sibi debita.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, f. 116; f. 112 (orig. polonicum).

Traductio epistolae Illustrissimi Metropolitanus ad Illustrissimum Mlodowski, Episcopum Brestensem, de die 1ma Iunii 1774 anno, Kupieczovia. Illustrissime, etc.

Mirum mihi est, quod Ill.ma Dominatio Vestra in corpore Dioecesis meae existens, immemor beneficiorum sibi praestitorum, et praesertim jure merito obstricata ad praestandam mihi omnem obedientiam debitam, missis his omnibus in oblivionem, facta est et fit ingrata et inobediens, non tantum mihi sed et SS.mo Domino, dum Sedes Apostolica per Sua justa Decreta, perpensis falsis a D. Vestra narratis et circumscriptionibus me confirmavit et sustinuit penes jurisdictionem in spiritalibus et temporalibus. Igitur ex mente ejusdem Sedis Apostolicae autoritas et jurisdictio mea in salvo et integro esse debet.

RR. Decani quod fomentati per ipsam D.m V.m et ejus Ministros Olea Sacra non acceperint, ego non fui nec sum causa, et nunc venientibus, praesertim quod respicit hoc salutare opus, dare non recuso et quilibet in effectum recipit. His expressis maneo

Ill.mae et Rev.mae Dom. Vestrae intimus frater

F. WOŁODKOWICZ, Metrop. tot. Russiae
Kupieczovia, die 1-ma Junii 1774 anno.

* * *

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, f. 116; fol. 113 (orig. polonicum).

Traductio Literarium Rev. Jastkiewicz, Decani Turzyscensis ad Illustrissimum Episcopum Brestensem, de die 3 Iunii 1774.

Illustrissime, etc.

Obligatus mandato Illustrissimae Dominationis Vestrae et requisitione RR. (f. 116v) Decanorum Collegarum meorum, discedebam die 1ma Iunii currentis Kupieczoviam et supplicavi Ill.mo Metropolitano pro extraditione Oleorum Sacrorum ad Diocesim Vladimiriensem atque interrogatus ab eodem Ill.mo Metropolitano num attulerim cathedriticum? Respondi, quod hoc subsidium more antiquo allatum fuit ad Congregationem Dioecesanam pro Dominatione Vestra Ill.ma. Igitur dedit mihi resolutionem, quod Olea Sacra non extradet, dum cathedriticum non est ipsi consignatum.

His relatis maneo Ill.mae D.ne Vestrae suppedaneus humillimus
Sac. M. JASTKIEWICZ,... mp.

Die 3 mensis Junii 1774.
Tahaczyna.

255.

Kupieczovia, 14. VII. 1774.

De designandis Commissariis ad lustranda bona Mensarum.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 89, fol. 208.

Illustrissime et Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Quae diffugia Plenipotentes mei quaerent? quos Illustrissima Dominatio Vestra convenit ac monuit, ut Commissarios a me designatos nominent, nescio; cum ex epistolis eorundem Plenipotentiariorum mihi constet, Vestram Illustrissimam Dominationem nominatos pro parte mea per exhibitam Listam in Calcellaria Tribunalis Apostolici, mediante Instantia in plenissima forma actis ejusdem Tribunalis jam in majori parte inserta, prorsus rejecisse, nec judicialiter exceptiones contra nonnullos, praesertim contra Reverendum Turkiewicz²⁷⁷ resolvisse, nec caeteros approbare voluisse. Hinc igitur quid ego ultra facere debeam, nisi omnia committam purae libertati ac contraventioni Illustrissimorum Coadjutorum, quod tamen sine patenti injuria mea fieri nequit.

Pridem jam praetactos Commissarios designavi, et quidem quoad

²⁷⁷ Georgius Turkiewicz; cfr. de eius vita et activitate *Indicem nominum et rerum*, et alia volumina, nec non opus M.M. Solowij, OSBM, *De reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj, Archiepiscopi Polocensis* (1784-1709), Romae 1950.

Bona Mensae Metropolitanae Magnificum et Generosum Franciscum Jankowski, Regentem Castrensem et Faustinum Kosciuszko, Pocillatoridem Brestensem. Ad Bona mensae Episcopalis Vladimiriensis et Brestensis Magnificum et Generosum Ignatium (f. 208v) Jankowski, Rothmagistrum Palatinatus Brestensis et Mathiam Bartoszewicz. Denique ad Palatium Metropolitanum Varsaviense Perillustres Admodum Reverendos Wedrychowski et Ratomski, Canonicos. Hos itaque omni fere exceptione, prout apparet, majores, quatenus Illustrissima Vestra Dominatio approbare dignetur judicialiter, justa peto. Et haec sunt, quae interim rescribere debui ad epistolam Illustrissimae Dominationis Vestrae, de Ima Julii Varsaviae datam, quam per manus inimicorum (ut ita dicam) meorum transmissam reverenter recepi. Circa haec cum omni debita aestimatione maneo

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae addictissimus et obsequentissimus Servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus
Metropolitanus totius Russiae (mp).

Kupieczoviae, die 14 Julii 1774.

256.

Kupieczovia, 15. VII. 1774.

De impressione litterarum circularium, de Oleis sacris et de aliis abusibus Coadiutorum.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 124rv.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine
Domine Patrone Colendissime.

Per sexennium fere ab illo critico 1768 anno expecto, ut Illustrissimi Coadjutores mei revocatis in memoriam praestitis sibi a me beneficiis, tum quoque stricta quam tenent erga suum Coadjutum, et Metropolitanam obligatione tandem aliquando respiciant, sed huic expectationi meae non correspondent ex parte illorum facta; loco enim debitae gratitudinis, et recognitionis continuo experior persecutionem, et non solum personae, authoritatisque meae, verum etiam legum et immunitatis ecclesiasticae, per conductionem Militis Regni, praesertim ad Bona Episcopatus Vladimiriensis, et eorundem desolationem, contemptum. In his circumstantiis, quamvis ab ingratis tolli deberant beneficia, nihilominus Christiano ductus motivo et singulari erga S. Sedem Apostolicam atque Excellentiam Vestram Ill.mam Rev.mam respectu, non pridem ratificavi in favorem ipsorum manumissionem jurisdictionis in spiritualibus Vicariae, cujus pro-

mulgationem, quod paucis interjectis diebus justis de causis distulerim, illico importunae ex parte Illustrissimorum Coadjutorum delatae sunt ad Excellentiam Vestram Ill.mam Rev.mam querelae. De his ut primum mihi innotuit, praeciso, et seposito justo quem persentio dolore, meum duntaxat, et Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae evincendo honorem, praememoratam promulgationem executurus Literas Circulares ad imprimendum ad Poczajoviensem Typographiam mittere disposui,²⁷⁸ in quo opere justo elapso tempore et peracta promulgatione exemplaria aliquot Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae communicare non intermittam; interea, hoc loco liceat mihi revocare in memoriam Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae Septimum Concordiae Articulum, in quo plenam bonorum utriusque mensae possessionem et dispositionem mihi reservavi; huic tamen Articulo tam per usurpativam Ill.mi Coadjutoris Vladimiriensis sex villarum occupationem, quam per illud a Potestate saeculari procuratum sancitum frivole est derogatum. Quamobrem cum Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae conatus eo intendant, ut praedicta concordia suam habeat executionem, non intermittat quoque hanc etiam ipsius laesionem reparare, alioquin evidenter partiale apparebit talis executionis studium.

(f. 124v) Sacra Olea, ut commode distribuantur Clero Dioecesium mearum partitis vasis majori in parte Radomisliam pro Metropolitana Dioecesi, et Brestam pro Brestensi ordinavi; pro Vladimiriensi autem in Ecclesia Kupieczoviensi sunt deposita. Summopere miror quod tam Ill.mi Coadjutores quam Decani etsi sibi de eo innotescitum habeant, nullam ad me per Literas saltem officiosas vel personaliter, praxi et more antiquo, conveniendo requisitionem fecerint. Praetendunt equidem Ill.mi Coadjutores nimiam a me subjectionem, quatenus praedicta Sacra Olea, absque ulla honesta et debita recognitione, committam ipsorum aut ab illis designatorum distributionem, sed hujusmodi votis uti sanae rationi adversis et inversum ordinem praeseferentibus, satisfacere non sentio me esse obligatum. Caeterum cum reliqua ex parte Illustrissimorum Coadjutorum et signater Vladimiriensis desideria Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae exposita, judicalem requirant resolutionem, non dissentior, quin exauditis meis rationibus praemisso procedant ordine et circa ea maneo cum profundissimo cultu et veneratione.

Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae addictissimus, obseq.mus et humillimus Servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus
Metropolitanus totius Russiae (mp).

²⁷⁸ Agitur de documentis de dat. 23.IV.1774.

257.

*Vladimiria, 5. VIII. 1774.**Erectio monasterii Monialium Basilianarum Vladimiriae.*APF, *Scrith. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 11, f. 826-827v.

In Nomine Domini; Qui fecit Coelum et Terram

ECCE EGO FELICIANUS PHILIPPUS WOŁODKOWICZ, Dei Gratia et Sanctae Sedis Apostolicae clementia Archi-Episcopus Metropolitanus totius Russiae, Episcopus Proto-Tronius Vlodimiriensis atque Brestensis, Abbas Kijowopieczarensis.

Plurima eaque immoritura laude dignissima Predecessorum Meorum vere Piissimorum Antistitum erga Divinissimam Matrem Ecclesiam Dulcissimamque Patriam nec non et Congregationem Basilianam, utpote Gratissimam Virginum Evangelicarum Magistram haud perpauca in Domesticis Conciliis mecum frequentissime considerans exhibita studia; Multis multorum praevis Nobilium Volhynensium desideriiis agitatus, incidi tandem forte quadam beata piaque contemplatione in illa immaculati Agni Vestigia, quae sibi felices sequuntur Virgines, quocumque ierit (f. 826v) ille, nec non penitus mente revolvens: quam sancta atque jucunda sit haec virginalis cultus Eidem oblatio, simul quoque quam difficilis sit eadem, hac praesertim corruptissima saeculi Nostri aetate, haud ... justissimo gemitu lacrymisque obortis tot jam ac tanta Virginum Monasteria dilapidata indolui. Mearumque partium id vel unicum ad reliquos vitae meae dies existimavi, ut saltem aliqua Sancta Monialium Domicilia prorsus ad interitum vergentia erigere satagam, aliqua demum vel ipso de pulvere iterum suscitare, propriisque sumptibus iam restaurare partim iam redintegrare, ut ut per tempus licebit, contendam. Quare ne Votis meis plurimas inter angustias et molestias temporis aerumnosi (quibus ni fallor placuit Altissimae Providentiae intima cordis mei tangere atque probare), Votis inquam meis ne tantisper ipse deesse videar, anno igitur currente (post illum in quo Virginum Princeps Virgo Deum enixa, humana Divinis associavit) nuper autem millesimo septingentesimo septuagesimo quarto, die quinta Mensis Augusti, invocato Spiritus Sancti auxilio, cum plenissima Rei Praesentis intimatione (ubi de jure venerit) propter pleniorum notitiam, majoremque certitudinem nec non perpetuam actus hujusmodi memoriam, animum atque operam meam ad redigendum Monasterium Vlodimiriense, in Palatinatu Volhyniensi, in suburbio Vlodimiriae, ad aedes S. Eliae Prophetae, olim per Magnum Ducem Lithuaniae Boleslaum Swidrygel situatum, plurimis praesertim innixus documentis

inibi vere Devotissimas mansisse olim Sanctimoliales atque Martyrio cunctas ibidem extinctas, irremeabili proposito induxit. Hancce itaque Rem jam praestitisse me omnibus et singulis, quorum vel interfuerit isthoc sciendum; vel quocunque titulo discernendum obvenerit, illudque velle meum sequenti methodo me statuissse ingenue fateor. Ac 1-mo quidem, cum per injuriam temporum et Nostra vetustiora Archivia, et Actus publici Castrenses Vlodimirienses, ante quingentesimum post millesimum annum deperiere simulque Originalis Fundatio Swidrigellana (f. 827) exdotans Ecclesiam S. Eliae P. et Monasterium Sanctimonialium Praediolis Ilin-sczyzna, Wulka, Polupansczyzna, hortulis, pratis, campis, et sylvis ce-duit (ut ex Privilegiis serenissimorum Regium Poloniarum Sygismundi Augusti et Joannis Casimiri Nobis innotuit), haec, inquam, fundatio adeo in cinerem versa, ut et Locus adversae interdum vicissitudini succumberet, et Praediola avulsa merito tantisper commodiori tempori ad evindicationem reservanda recenserentur. Hinc ego, pro posse meo, Deo ter Optimo Maxi-mo et Beatissimae Virgini Mariae nec non Gloriosissimae Monialium An-tesignanae Macrynae Sanctae offero sumptibus meis Monasterium aedi-ficatum cum annexa Ecclesia de lapide cocto; et debita Provisione Pecuniara, tum ad exigentiam operis complendi, ut tandem aliquando idem opus omnibus numeris sit absolutum, et in posterum integritati suae fa-ciliter consulat; tum ad sufficientiam commodioris victus et amictus Mi-nister eiusdem Ecclesiae, quem optar elemosina mea Virum, Angelum pacis, qui cum timore et tremitu operetur salutem suam, cum suavitate provideat augendae solidae pietati, protegendae innocentiae, fovendae mu-tuae Charitatis et concordiae nec non semper optimo totius hujus Mona-sterii Sanctimonialium consulat nomini, ideoque efficiet facile jugum Chri-sti suave, et onus Ejus leve si omnia juste, pie, sobrie et in mansuetudine dulci tractentur ad normam Vitae Sanctorum Patrum, si plerumque om-nibus votis intendere placuerit: non esum sed JESUM, non delicta, sed mundiciem, non Personas sed Coronas; non Carnem, sed Spiritum, ac ut verbo complectar: si totum idem Monasterium omni sollicitudine conformetur ad Regulas Patris Nostri Divi Basilij Magni. Quapropter haec est mens et unica voluntas mea in opere praesenti, ut inibi non nisi probatissimae juxta SS. Canones inhabitent Puellae, sanguine Nobiles, moribus intaminatae, vinculo pacis inter se unitae et quas vel maxime commendet solida Pietas, per quam devotissimas preces suas pro felici statu S. Romanae Ecclesiae, pro dulci regimine Serenissimorum (f. 827v) Regum Christianorum, pro salute animae meae quotidie persolvant, ju-xta Ritum orientalem, atque ut id eo facilius praestare valeant, pro earum commoditatibus offero ex aerario meo in integrum: omnibus tum Monaste-rii, et ejus Communitatis, tum Ecclesiae et ejus Ministri, sive Paeniten-

tiarii a loci Ordinario approbati negotijs, summam florenorum Polonicalium Sexaginta millia ad praesens in Bonis Cuman dictis locata. Injun-
go in super onus eidem Communitati per destinatas ad id opus personas,
ut avulsa pristinae Foundationis recuperare praediola haud negligant,
curamque habeant singulis haebdomadis duo sacrificia Missae, pro salute
animae meae inter se absolvenda devotissime audire. Illustrissimos Loci
Ordinarios, Gratissimos Successores meos per viscera misericordiae Do-
mini Nostri Jesu Christi obligo, ut eidem per me restaurato Monasterio
semper auxiliatricem porrigant Dextram, utpote oviculis sibi deditissi-
mis, tueantur atque protegant easdem. Tandem quoque occurrendo un-
decunq̄ue exorituris posthac litigationibus circa naturam Foundationis
hujus, ut tranquillam sub alis Protectionis Almae Matris Ecclesiae Roma-
nae, et Sacrae Regiae Majestatis vitam ducere valeant praefatae Monia-
les, omnes et singulos quoscunq̄ue illud negotium tanget in omni foro et
judicio et subselliis, praesertim Illustrissimos Magnates et Principes, Per-
illustres Magnificos Dominos, Officiales et Judices Castrenses et Terre-
stres, nec non Generosos Cives et Incolas totius Palatinatus Volhynensis
oro atque enixis precibus obsecro ut eidem Monasterio suum gratissimum
praestare Patrocinium non dedignentur, salva tamen semper Sanctae Ro-
manae Ecclesiae Potestate in melius providendi.

In quorum fidem manum propriam et sigillum officii mei appono.

Dabantur Vlodimiriae, in solita Residentia Episcopali, anno 1774,
die 5 Augusti.

FELICIANUS PHILIPPUS WOŁODKOWICZ, Archiepisc. Metrop. (L.S.)

258.

Vladimiria, 7. VIII. 1774.

*Respondet Nuntio de postulatis Gubernatoris Leopoliensis, de litteris cuius-
dam sacerdotis nec non de ulterioribus gravaminibus ex parte sac. Tur-
kiewicz.*

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 171.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Positus ego quasi inter malleum et incudem praesenti tempore ne-
scio quid ultra facere deberem, nisi plenissime forem persuasus in interna
conscientia mea, quod quemadmodum corde et animo summae Sanctae
Sedis Apostolicae auctoritati sum cum omni ovili meo adnexus, ita pro-
tectione ejusdem saluberrimoque consilio non destituar.

Excell.ma Vestra Illustrissima Dominatio, tanquam custos his no-

stris in partibus omnium legum Apostolicarum, praebeat obtestor suum mihi consilium: quomodo respondere debeam Ill.mo Domino Ausperg, sacratissimi Imperii Gubernatori Leopoliensi, ad ejus epistolam de 16 Iulii anno currenti ad me sriptam, quam hic pro meliori informatione in copiis prout in se est adnecto.

Ille Ill.mus Dominus Gubernator, omissis caeteris paribus, quaerit a me informari de clero ejusque internis consuetudinibus seu normis; et quoniam Clerus is idem, modernus ordo, aliaque ejusdem generis, longe a me per praepotentiam absunt, ita ut nec solusmet ego in minimis actibus Dioecesium mearum informari aut quidquid scire potero, quomodo igitur eidem Ill.mo Gubernatori rescribere aut de me ipso in rescriptis sentire possim, ignoro. Hinc iterum iterumque Excelmae Ill.mae Dominatinis Vestrae consilium expeto.

Non possum omittere dolorem meum quem sentio ex Litteris originalibus curialis Presbiteri Ill.mi Mlodowski, Coadjutoris mei Vladimiriensis, de 14 Iulii in Biskupicze ad Reverendum Michalczewski datis, pro quo mitigando dolore supplex (f. 171v) exoro resolutionem ad punctum vel maxime: utrum certum sit? an ut merum excogitatum? quasi Minister quidem Romanus et alii certificarent Dominum Coadjutorem meum super libera Sanciti executione. Memoratas originales Procurator meus praesentabit, copiam vero ibidem adnecto.

Tantas imo alias graviore et innumeras cum experiar insidias et oppressiones, dignabitur Excellentma Ill.ma Dominatio Vestra revocare facultates Reverendo Turkiewicz pro lustrandis bonis meis subscriptas, et alias; sub praetextu enim istarum facultatum iste Presbyter cum dignitatem meam Metropolitanam tum bona, adhibita militari copia ad ultimam perniciem deducet. Justa ego peto; quandoquidem ad hunc finem Plenipotentiariorum meorum misi, ut omnium praetensionum componant Regestrum easdemque una cum informatione Suae Excellentmae Ill.mae Dominationi producant, quibus productis, cum parati fuerint, et revisi, pro tunc tandem Excellentma Sua Ill.ma Dominatio secundum justitiam judicabit et disponet. Intermediae vero videntiae quid proderunt? Faciat pro me misericordiam, qui indesinenti cultu, et omni et qua par est reverentia maneo

Ill.mae Excellent.mae Dominationis Vestrae addictissimus et humilissimus Servus et Exorator

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus
Metropolitanus totius Russiae (mp).

Die 4 Augusti 1774 anno, Vladimiriæ

259.

*Vladimiria, 24. VIII. 1774.**De fundatione seu restauratione monasterii Monialium Basilianarum Vladimiriae in Volhynia.*APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 11, f. 731-732v.

Eminentissimi et Reverendissimi Domini, Principes,
 Domini Protectores Clementissimi.

Nuper mihi gratissimum Illustrium quorundam Nobilium ex Palatinatu Volhynensi oblatum est desiderium, ut cum plurimis eorum votis restaurando monasterio Monialium Vlodimirensium, inhaerendo antiquae fundationi per Principem Magni Ducatus Lithuaniae Boleslaum Suidrigiel dictum positae ad aedes S. Eliae Prophetae obsecundare, solide pensis motivis et Documentis eorundem fundationem enunciantibus, studissem. Novissimo quoque eorundem Nobilium petito in expostulanda etiam confirmatione apud Sanctam Sedem Apostolicam ejusdem neo-restaurati Monasterij, proprijs meis impensis et studio peculiari adhibito minime deesse viderer.

Ego equidem cui maxime cordi est et salus animarum et augmentum gloriae Divinae, et filiarum nobilium pijssima educatio, in hoc opere omnibus numeris complendo, ut morem Illis gerere non desinam, nihil aequius duxi, quam ut orem atque (f. 731v) obsecrem profusissimis precibus nec non cultibus, qui certe maximi debentur Sanctae Sedi Apostolicae, Eminentias Vestras, Dominos Clementissimos, ut eidem per me neo-restaurato Monasterio gratiam illam Confirmantem, quae mihi ipsa mea vita carior existimabitur praestare non dedignemini. Quibus autem vestigijs antiquam illam perscrutari licuit fundationem, aperuit saltem aliquam notitiam litigatio exorta inter Clerum Capituli Vladimiriensis praetendentis Jus sibi ad praefatam S. Eliae ecclesiam, collatum post hostiles incursiones et desolatum Monasterium et inter Moniales nuperrime incolentes idem restauratum monasterium, allata fuere in Cosistorio nostro ex utraque parte saltem aliqua post plurima Urbis Vlodimiriae incendia derelicta documenta, repetijt Monasterium quam profundissime potuit Constitutio Beati Vladimiri, in quibus memorantur Monachi et Moniales.

(f. 732) Annales innuunt attestantes fuisse Monasteria Vlodimiriae, Actus quoque Castrenses Vlodimirenses indigitant situationem eorundem monasteriorum et vicissitudines temporum, quibus aliqua in Ecclesias Parochiales transmearunt. Denique idem de quo res agitur monasterium variae ad haec usque tempora succubuisse vicissitudini; ut plurimum igi-

tur de antiqua fundatione et ejus desolatione Nos certiores reddit haec litigatio, quae ut ut nobis dignoscenda oblata fuerat, eodem tenore scripta, quinimo typo impressa in morem supplicis Libelli Eminentijs Vestris Dominis Clementissimis ad dignoscendum transmittenda esse videbatur.

Hinc aliquorum Antistitum praxis attendendo in restaurandis monialium monasterijs exhibitas, ut Nobis patuit ex actis Castri Luceorien-sis, factam per Episcopum Athanasium (f. 732v) Puzina, justum et aequum putavimus annuere petitioni nobilium et restaurare idem Monasterium.

Reliquum est, ut idem Monasterium peculiarissimae protectioni et confirmationi Sanctae Sedis Apostolicae Vestrisque Eminentijs, Dominis Clementissimis, supplex commendare non desinam: Qui totus semper maneo cum profundissimo cultu ac veneratione.

Eminentiarum Vestrarum humilissimus et obse.mus Servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metrop. totius Russiae
Die 24 Augusti 1774, Vlodimiriae.

260.

Vladimiria, 25. VIII. 1774.

Amplissima expositio causae cum Coadiutoribus nec non ulteriores querelae de gravaminibus, ut provideatur iuribus suis.

APF, *Scritt. rif. nei Congressi, Mosc. Pol. Rut.*, v. 11, ff. 741-744.

Eminentissime ac R.me Princeps, D.ne, D.ne Clementissime.²⁷⁹

Cum omni tractu vitae meae Eminentissimam Rev.mam Dominationem Vestram in summo habeam honore, eique profitear omne meumque supervixere cordis et animi officium, non despero procul dubio in ejusdem singulari protectione, qua mediante exoptatum negotium meorum eventuum polliceri mihi possem.

A quo tempore, et modis crutior invidia, seditionibusque Coadjutorum meorum motis, Corpore debilitatum, et articulorum morbo confectum, jam me video, ipsa Eminentissima Reverendissima Dominatio Vestra, praeter meas expressiones saepesaepius factas, alienis etiam delationibus perbelle est informata.

Deploro statum meum, et dies, qui mihi dictos Coadjutores subpeditarint, deploro quoque meum infortunium, ex quo voces meae, voces quidem justae, non merentur, nescio ob quam rationem, apud Superiores meos fidem; voces vero Coadjutorum, ab omni veritate prorsus alienae, suas facillime assequuntur conclusiones.

²⁷⁹ Agitur de Cardinali Praefecto S.C. de Prop. Fide, Josepho Maria Castelli (1763-1780).

Perpendere etenim Eminentissima Rev.ma Dominatio Vestra pro sua singulari gratia dignabitur, Decretum illud Generalis Delegationis de occupandis mensarum mearum Bonis, quod ne utique unquam subsecutum foret, nisi aperte ad eandem Delegationem cum a Coadjutoribus tum ab Ill.mo et Rev.mo Domino Nuntio Apostolico in hoc Regno Poloniae, ad effectum darentur notae.

Motivum unicum Decreti est, acsi dispositionibus Apostolicis ex parte mea renitentia, quod quandoquidem est falsissimum ideo subsistere non deberet, nisi in id influerat nota procuratio Ill.mi Rev.mi Domini Nuntij et specialiter ipsius Auditoris.

(f. 741v) Hunc, quamvis Eminentissima et Rev.ma Dominatio Vestra injunxerit Ill.mo et R.mo Domino Nuntio, ut nomine S. Apostolicae Sedis executioni tanti mali praejudicati obstaret, dubitare tamen non possum quod suum ex parte proprium hoc opus, tollere non facile audebit.

Non possum ego, nec debeo, Ill.mum et Rev.mum Dominum Nuntium accusare, aut contra Illum conqueri ita, ut nescirem eum esse justum, sapientissimum prudentissimumque, imo dotes istae et qualitates innatae sunt fere tanto viro, verum, quia nimis est bonus, ubi omnino necesse est circa justitiam obstare, ibi difficilis, et suo Auditori, qui me non amat, Decreta enim sua in publica Audientia lata et publicata nonnulla, ad meam pro justitia partem, manu propria private maculavit, et alia in Decretorio scripsit, superque credulice, de hoc testimonium mihi perhibente conscientia veritatem dico, quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo.

Habet quidem Ill.mus et Rev.mus Dominus Nuntius, prout certo audivi, relationes supersedendi contra hocce Decretum Delegationis a suo officio, quia videlicet: res Nuntiaturae sunt modo in eo statu, ut maximum immineret periculum, quod ex Parte Regni Nuntiatura clauderetur. Verum quoniam commodum Causae unius non potest nec debet inferre Damnum alteri causae, non subsistit ideo mox allata periculi ratio, praesertim cum essent Poloni nostri perspicacissimi in rebus agendis, animadvertantque omnem justitiae subministrationem ac omnem activitatem magis certocertius integritati jurium Nuntiaturae profuturam, quam periculosam. Accedunt hic Jura mea Metropolitana, tum a Sancta Apostolica Sede tum a Serenissimis Poloniarum Regibus et Republica Polona benigne firmata, semperque cum juribus Apostolicis standa ac manutenenda; non habebitur ergo periculum si quisque circa suam conservabitur, sine acceptatione impertinentium Personarum, proprietatem, secus (f. 742) si dabitur occasio conquerendi contra acceptationes, non administrationem Justitiae, aut Jurium depressionem.

Hac occasione cum mihi D. Mercuri nomine Eminentissimae et

Rev.mae Dominationis Vestrae scribat, ut me abstinere ab his omnibus, quae irritare possent animos Coadjutorum, respondeo: nihil me velle, quod esset Minorum Coadjutorum, sed quoniam iidem Coadjutores ex omnibus Bonis mensae per duos fere annos ad mille florenorum Polonicalium proxime quingenta, aut ultro perceperunt, hanc igitur unicam perceptam rehabere, tum innocentiam meam toti Orbi representare volo.

Verumtamen, sicut Domini Coadjutores diffugia quotquot possunt quaerunt, ut nunquam quod meum est restituant, ita Ill.mus et Rev.mus Dominus Nuntius, et vel maxime ipsius Auditor iisdem diffugiis, nescio unde et quam ob causam, per omnia placet.

Misi enim Plenipotentiariorum meos Varsaviam ut coram Iudicio ejus experiantur super praetensionibus, et ut ita satisfacit dispositioni supremae S. Apostolicae Sedis, a quibus Plenipotentiariorum postquam fuisset causa ad mentem Tribunalis instructa, illico novae Categoriae innumerae, ad infinitum rei protellationem sunt mihi attentatae.

Subscripsit siquidem Ill.mus et Rev.mus Dominus Nuntius Instrumentum, ad affectationem unius Partis Coadjutorialis, in ordine ad Lustrationem Bonorum meorum mensalium, cum Brachio Saeculari adhibito, effectuandam, cumque Plenipotentiariorum mei, propter bonum pacis suos Lustratores proposuissent eosque judicialiter et non alias approbari, non nullos vero acceptioni subjectos, in instrumento expressos reijci, ac in locum eorum alios designari expetissent, Ill.mus Autor, non attentis petitis meis, aliud Instrumentum extra-judiciale, roborativum prioris, iterum ex Cancellaria extradidit, quibus mediantibus Instrumentis praefati Lustratores ex Parte Coadjutorum varij generis mala mihi, honori meo, tum subditis meis, cum Copia militari per Villas discedentes, perpetrare non erubescunt.

Conquestus de his fui coram toties dicto Ill.mo et Rev.mo Domino Nuntio, semel et iterum, per meas epistolas, tum notas memorialis Plenipotentiariorum nomine meo porrecti, signanter vero produxi (f. 742v) Originales variorum hominum probantes Epistolas, qualiter scilicet quidem Minister Romanus (sunt verba Presbyteri Curialis Ill.mi Mlodowski, Malewicz dicti, in ejus originali producto expressa) ad Dominum Vladimiriensem Coadjutorem scripserat, quod is idem Coadjutor habeat potestatem exequendi Sancitum; qualiter certum sit, me nihil magis quam justitiae administrationem quaesivisse, spemque omnem in protectione Sanctae Apostolicae Sedis habuisse, ac ad consequendam eandem singula accessoria ordinasse, interturbationes vero quotidianas sustinuisse. Etenim in Puncto VII Concordiae quemadmodum ego Bonorum statum hodiernum per meum Commissarium cum Commissario uno a Coadjutoribus designando describere me submisi, ita iuxta hanc submissionem pridem jam duo in-

ventaria, juramento etiam firmanda, per eundem meum Commissarium unum, ex quo D. Coadjutores suum non subministrarunt, confeci. Hinc omni suadente Ratione Inventarium confectum a me ad satisfactionem Puncto Concordiae, addito quolibet in tempore uno duntaxat ex parte Coadjutorum homine, pacatissime, sine perturbationibus minimis verificari ad ultimum deberet, ibi tumultus, immissiones militum, extorsiones et spolia sub praetextu lustrationis intercedunt. Enim vero quidem R.dus Dominus Turkiewicz, qui ante aliquot annos per correspondentiam cum non unito Episcopo Mohiloviensi inimicissimus mihi juribusque meis fuit visus,²⁸⁰ iste per intra bona mensae Episcopalis Vladimiriensis cum copia Militari discedit, praedia et subditos, tum Dispositores opprimit, victualia, potatilia, pabula ac pecuniam extorquet, mox dictos Dispositores difamat, ac incarcerat, loco Lustrationis quoad certos Proventus Curiales, fundos, resque domesticas meas proprias atque animalia describit ac alia perpetrat innumera gravamina, prout etiam testatur illius originale Documentum, ad quod Florenos Polonicales 130 a Judaeo Cauponario arendatore meo, cum militibus sub die 6ta mensis currentis emunxit. Nec absimiliter quidem Skapski, Dolinski et Zoltowski ex parte D. Coadjutoris Leopoliensis. Episcopi, in bonis Metropolitanis meis procedunt. Cum itaque, ut dixi, Originalibus praemissa probassem, expetissemque ut revertentur isti assignati Lustratores, mihi offensi et inimici, ut in Locum eorum assignetur unus, qui junctim cum meo Commissario Inventaria jam alias confecta, eorum realitatem, mediante indagazione, legaliter comprobent et in tempore, quantum opus fuerit, jurent super eandem; ut denique inhibeat tum dictis Compromissarijs praeteritis ne ad praesens quidquam per suas dispositiones saltim quod ad bona mensalia attentent, donec revisae fuerint in Tribunali Apostolico praetensiones et integrum cognoscatur negotium, dum etiam Coadjutoribus ne (f. 743) Sanciti Decretum procuratum executioni mandent, nullam aliam ad haec omnia ab Ill.mo et Rev.mo Domino Nuntio recepi resolutionem, nisi hanc, ut de Rvdo Turkiewicz, et de alijs non verear, qui nihil ipsi facere poterint, inscijs Rev. mis Episcopis Compromissarijs, Concordiae Executoribus, et ad Bona investiganda ac describenda spetialiter designatis et quidquid caeteroquin jure habere possim, iisdem Rd.mis Episcopis exponam.

A quorum Episcoporum sententijs ego appellavi, a quibus, Judicio eorum, summopere ac patetice sum gravatus, siquidem etsi Coadjutores

²⁸⁰ Georgius Konyskyj (1717-1795), magister in Academia Kioviensi; ab anno 1752 eiusdem Rector, et ab anno 1755 episcopus Mohiloviensis in Bielarusja, ab anno vero 1783 eiusdem eparchiae archiepiscopus. Vir doctus et pro populo ucraino benemeritus speciali modo in campo litterario.

ex Bonis meis ad quingenta fere millia perceperint, mihi que nihil persolverint, adhuc tamen ad solvenda iisdem Coadjutoribus millia me obligatum esse adinvenerunt. Qui Episcopi, dicti Compromissarij, sunt membra hierarchica particularium meorum jurium, iisdem recenter subitior. Videat igitur Eminentissima et Rev.ssimae Dominationis, injurias et infelicitates meas, iisque pro amore Divino misereri dignetur; siquid enim ad investigandum aut terminandum committi omnino deberet, non ne Latini Ritus mallet acceptare aut expetere Commissarios Episcopos vel Praelatos, omnimodo indifferentes.

Alte dictus Dominus Mercuri significavit quoque mihi Eminentissimae et Rev.ssimae Dominationis Vestrae dolorem, quem habuit acsi ex deterioratione Bonorum Mensarum mearum, ex incuria imo ex studio meo, in odium Coadjutoribus subsecuta. Omnipotenti Domino meo juro, quia hic et nunc aliter me explicare non possum, quod istud est mearum et imprudentissimum commentum; quis enim sanae mentis rem suam perdere vellet, in odium alterius? Deducam ego tempore suo, quomodo tam Metropolitana quam Episcopalia Bona, per omnimodas curas et sollicitudines meas restauravi, et plus longe quam ad alteram proventuum certorum medietatem propter gratos Successores deduxi. Deducam item qualiter Coadjutores ipsi eadem Bona depraeserunt et adusque deprimunt, facientes haec vere in odium, ut suis malefactis me percutiant. Die 13tia praesentis D.nus Coadjutor Vlodimiriensis per suos consanguineos, septem in numero, quibus sub tempus administrationis sua Bona mensalia invadavit, et per quos minus deterioravit, quosque ego post Redintegrationem pati nullo modo potui et quod meum tantum est rehabui, subscriptum ab Ill.mo et R.mo Domino Nuntio obtinuit secreta, me inscio et meis Plenipotentiaris Varsaviae residentibus, Instrumentum pro Commissione, acsi super damnis iisdem consanguineis tempore motionis in Bonis factis, adhibito pariter Saeculari Brachio expedienda, a Compromissarijs vero per subdelegatos exequenda, quod Brachium Saeculare, scilicet milites, impossibile utisque est, ne ad deteriorationem aliquid adferant; non igitur ego sum in causa, sed illi qui me accusant (f. 743v) coram Eminentissima Rv.ma Dominatione Vestra, dum vel maxime cum toties dictis consanguineis non nullis super eadem re jam fui expertus coram Laicali Competenti, fundum spectante Iudicio citoque evasi.

His ita praemissis, circa osculum Fimbriae Eminentissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae humiliter supplico:

Imo: Ut demandetur desuper Ill.mo et R.mo Domino Apostolico Nuntio, quatenus revocet omnia sua Instrumenta disponatque, si quid habet, praevisis controversiis partium iudicialiter ipse, non vero Compromissarij.

2do: Ut non modo per suum juditium resolvat controversias super praetensionibus proventuum, verum super omnibus alijs incidentiis atque emergentibus, itidem ex controversiis, judicialiter.

3tio: Inhibeatur desuper a Sancta Sede Apostolica Episcopis, praeteritis Compromissariis, tum Coadjutoribus, ne primi se involvant in dispositiones quasvis, alii vero ne audeant Decretum Sanciti exequi, aut sub praetextu Lustrationis in Bona milites introducere.

4to: Ut in ordine ad lustranda bona, si opus est (: sit sane:), addatur unus tantum Concommissarius, qui junctim cum meo, inventaria jam revideant, comprobant et juramento corporali uterque eorum firmet; juxta Concordiae Punctum in numero VII.

5to: Quoniam praeter praemissa, literas Circulares favore Coadjutorum a me subscriptas, ad approbandum sanctae Eminentissimae et Reverendissimae Dominationi Vestrae praesentare, ideo repeto supplicationes meas, ne huc remittantur, sed approbentur Romae, ad ostendendum in tempore, quod nunquam Coadjutores mei fructum illegitime (f. 744) perceptum mihi aut cuiquam Bono, restituere cogitant, illique soli omnia diffugia et propter indies novas oppressiones quaerunt.

Confido in singulari ejus gratia, atque benignitate, affido etiam progeniem meam, dum oculos claudam vitamque meam hanc miseram temporalem in aeternam commutabo, nunquam defuturam, sed semper memorem fore addictioni erga me Sanctae Apostolicae Sedis, manus osculor, provolvendoque me ad pedes cum profundissimo cultu maneo

Eminentiae Vestrae Reverendissimae humillimus et devotissimus
Servus et Exorator

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Die 25ta Augusti, A.1774.-Vlodimiriae.

261.

Vladimiria, 25. VIII. 1774.

Explicationes Nuntio Apostolico dantur de ortu et origine foundationis monasterii Monialium Basilianarum Vladimiriae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 193.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine,
Domine, Patrone Colendissime.

Saepius illud praeclare scriptum Platonis mente revolvens: non nobis solum nati sumus, sed ortus ac officii nostri partem Patria vindicat, partem amici, nihil aequius animadverti, quam ut Ill.mae Excellentiae Vestrae

consilia tum quoque bene multorum Nobilium Palatinatus Volhynensis quaedam piissima denunciare haud negligam desideria: quae duntaxat collimant ad redintegrandam antiquam Fundationem Monasterii Basiliannissarum, per Serenissimum olim Magni Ducatus Lithuaniae Principem Boleslaum Swidrigel dictum, positum ad aedes S. Eliae Prophetae in suburbio Vlodimiriae, ut constat ex litteris attestantibus id opus, Varsaviae sub annum 1568vum, Mensis Octobris die 6ta favore Serenissimi Sigismundi Augusti editis.

Ego quidem quid in hoc negotio consilii caeperim? paucis complector. Me enim latuit in simili vestigio quam felici eventu ad haec usque tempora viguit atque floruit Monasterium Sanctimonialium Luceoriensium variis incursionibus hostilibus prius desolatum, nec non multo antea tempore prorsus oblivioni traditum, sed tandem ad vota plurima Nobilium Volhynensium, singulari studio ac protectione Ill.mi Athanasii de Kozielsko Puzyna, Exarchae et Episcopi Luceoriensis, sub annum 1640 die 2da Ianuarii feliciter redintegratum, ut constat ex Actis Luceoriensibus.

Hinc et ego muneris meis esse duxi, et Almae Ecclesiae et dulcissimae Patriae gratum in simili negotio restaurandi Vlodimiriensis Monasterii praestare obsequium. Et praeclara quorundam Nobilium Volhynensium vota studiis permultis idem prosequantur opus: non modo praemeditatum et consiliis fultum, et documentis, ubicunque colligere (f. 193v) licuit, antiquae fundationis innixum, sed jam pene ad conservationem deductum, utpote jam nuperrimis monialibus feliciter incolentibus illud dedi.

Accedit quoque et illud non praetereundem Excellentissimi Nuntii Apostolici saluberimum, sollicitudini meae non ita pridem de reducendis ad strictiorem disciplinam et observantiam Regularum Monialibus in sylvis Popova dictis degentibus consilium, quod ut eo facilius felicem sortiatur effectum, visum est Nobis situationem earum per restaurationem praefati Monasterii ad meliorem reducere statum, quodque jam favente Deo opere ipso complevimus.

Reliquum est ut Excellentiam Vestram Illustrissimam obsecremus, quatenus benignissimae protectioni et confirmationi idem neorestauratum Monasterium Sanctae Sedi Apostolicae commendet. Nosque certiores quam primum de suo beneplacito reddere dignetur. Maneo totus cum plenissima recognitione

Ill.mae et Rev.mae Excellentiae Vestrae, Benefactoris Singularissimi Servi humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Vlodimiriae, die 25 Augusti, 1774 anno

fol. 193: Ill.mo Domino Nuntio Apostolico.

262.

Vladimiria, 8. X. 1774.

Conqueritur de diminutione iurum metropolitiorum sibi debitorum, praesertim in administratione bonorum Mensarum.

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 11, f. 758-759v.

Eminentissimi e Reverendissimi Principes,
Domini, Domini Clementissimi.

Aequa et circumspecta Eminentissimorum et Reverendissimorum Principum Dominorum Clementissimorum meorum providentia inter caetera, quae divinitus Vestris Eminentissimis et Rev. mis Dominatio- nationibus incumbunt onera, illud etiam sollicite prospicere, et cavere debet, ne mala quaevis et incommoda, quae de caetero ab inferioribus Superioritati evenire possent, inopportune crescant, aut ultra, quam deceat, progrediantur.

Illud vel maxime inter desiderabilia haeret cordi meo, quod nuper coram Sanctissimo Domino Clemente VIII, Praedecessor meus Michael, Archiepiscopus Metropolita Russiae, et cum eo plerique Comprovinciales Episcopi, Divina Spiritus Sancti luce eorum corda collustrante, fidem catholicam integre fuerant professi, quorum ego continuo sequi vestigia desiderans, idem et cum iisdem juro atque profiteor, in finem aeternae salutis, atque memoriae.

Dictis mox Praedecessoribus meis, anno 1595, conceditur facultas, juxta Privilegia Sedis Metropolitanae in Episcopos Comprovinciales, mihi infelicissimo, absque ullis demeritis abnegantur omnia jura, et detinentur facultates omnes. ²⁸¹

Nisi itaque Eminentissimi et Reverendissimi Domini Principes, Domini mei Clementissimi anticiparint effectum (f. 758v) intentionis contrariorum, Magnus Dominus, et Laudabilis nimis avertat, ne posteriora, post mortem alias meam, fiant pejora prioribus.

Propterea, tametsi ego sciam indoleamque usque ad mortem undique obvenientes mihi miseriae, et oppressiones, magis tamen adhuc indoleo, motivum illud quaesitum, quod vergitur ante omnia in depressionem Provincialis Metropolitanorum Russiae Autoritatis, quod consequenter attingere videtur ipsa Sanctissimae Sedis Apostolicae Jura.

²⁸¹ Cfr. Bullam « *Decet Romanum Pontificem* », de dat. 23.II.1596. Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, 1075-1700, Romae 1933, pag. 266, nr. 152.

In Colloquio Lublinensi, habito anno 1680, Praecedessor meus Metropolitae Kijoviensis Cyprianus Zochowski, fol. 78, refert ad verbum, ibi: « Bona omnia Ecclesiastica immediate Potestati Christi Domini invisibili, et visibili Vicariae in terris subsunt et id ipsum volunt Principes omnes Catholici, ob tenerrimam eamque debitam erga Sedem Apostolicam venerationem; contra in Anglia factum, cum ad cameram omnia bona sint intercepta ».

Ex Consilio seu mediante studio adversariorum, meorum nempe Coadjutorum, Sancitum Decreti Confoederationis nostrae in Polonia moderatae generalis procuratum, jam per eosdem Coadjutores executioni demandandum venit.

(f. 759) Licet autem Excell. mus Ill. mus et Rev. mus Dominus Nuntius Apostolicus modernus hic in Polonia suis mediantibus Instrumentis et dispositionibus Bona Mensae meae inspectioni, acsi contra idem Sancitum, non jam Coadjutoribus, verum Compromissariis commiserit, me prorsus inscio nec audito, attamen modus hic non videtur esse sufficiens ad obviandum, imo magis nocivus apparet, cum et hinc opprimar ego.

Causa inter me et mox dictos meos Coadjutores, atque Compromissarios gravaminosos vertente in Tribunali S. Apostolicae Nunciaturae, nova quotidiana experior undique attentata, bonorumque extremam desolationem, et militum in eadem introductionem.

Diebus immediate praeteritis Varsaviae Plenipotentiarum mei prodixerunt coram eodem Tribunali Apostolico in eadem causa Informationem in jure et facto conscriptam, de non attentandis; vero donec hoc infelicissimum terminaretur negotium, expetitur remedium deprecari non poterant.

Multum nimis esse ipsemet video, quod hancce informationem, typo impressam, Eminentissimis Rev. mis Dominationibus Vestris ante eandem terminatam Causam adnecto, atque mitto, sed quoniam quo jam recurram? quidve facturus sim? nescio, ideo provolutus ad pedes Eminentissimarum Rev. marum Dominationum Vestrarum humillime supplico, quatenus dignentur illam realissime conscriptam perlegere, (f. 759v) atque Excell. mo Ill. mo et Rev. mo Domino Nuntio benignissime insinuare, jam hoc negotium finire ne tardet, conclusionique toties dictae Informationis deferat; tantisper vero donec aliquod pro justitia sancta lucratus fuero, dignabuntur Eminentissimi et Rev. mi Domini Principes, Domini mei Clementissimi definire et inhibere Coadjutoribus atque Compromissariis, ne se in dispositionem bonorum meorum immisceant, Sancitum executioni ne mandent, aut quidquam aliud attentent. Cum alias ex factis illorum oculatissime appareat propter me summa molestia, propter vero jura S. Apostolicae Sedis laesio, et ratione finis ac effectus periculosus-

simum intentum. Hujusmodi gratiae, quo supervixero, memor ero, sicuti circa osculum Purpurarum maneo.

Eminentiarum Vestrarum R. marum infimus Subpedaneus et continuos Exorator

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. totius Russiae

Die 8. 8bris, 1774 anno. Vlodimiriae.

263.

Kupieczovia, 20. X. 1774.

Dispositiones in obitu Clementis PP. XIV.

APF, *Scrilt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 190v-1.

Felicianus Philippus Wolodkowicz, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Metropolitanus Kijoviensis, Haliciensis et totius Russiae, Prothotronius Episcopus Vlodimiriensis et Brestensis, Abbas Kijovo Peczarensis.

Saeculari et Regulari Clero, nec non Christi fidelibus salutem et Pastoralem Benedictionem.

Mors Clementis XIV Papae Universalis, nostri SS.mi Patris, die 22 praeteriti mensis subsecuta, gravi nos replevit moerore, eo vel magis, quo plus ex cursu vitae illius, ex laboribus in Vinea Domini de bono Ecclesiae sollicitus, dulcis spei efficacior in dies conspiciebatur. Labores et sollicitudines hae absque ulla dubitatione abiisse conspectum Domini meritum adinvenerunt et anima huius SS.mi Patris in coelo. Cum nihilominus omnipotentis Dei effata nos lateant, iam vero pro animabus defunctorum et remissione peccatorum Christum immortalem Regem et Dominum nostrum ex praescripto constitutionum ecclesiasticarum precari obstricti simus, ea propter ex vi officii nostri pastoralis praesentibus literis: 1-o, omnibus Rectoribus ecclesiarum tam saecularium quam regularium utrisque sexus totius archidioecesis et dioecesis nostrarum, ut quam primum hae literae ad illos pervenerint, illico per 4 septimanas ter in die campanas pulsare iubeant, excitando Christi fideles ad orandum pro anima SS.mi Patris; 2-o, omnes sacerdotes saeculares et regulares per sex Missas pro anima eiusdem dicant, insuper per 4 dies veneris exequias solemnes absovant; 3-o, Claustra Monialium per 4 septimamas consuetas preces recitent; 4-o, Praedicatores et Parochi quolibet die festo et Dominico Christi fidelibus ad divina congregatis per quinque preces absolvere commendent, ut taliter viventium et mortuorum Jesus Christus Deus noster defuncti Patris SS. Clementis XIV animam, si haec ante conspectum Maistatis Divinae justificata non sit, inter Sanctos collocet et nostri etiam misereatur, nobisque

ex infinita misericordia sua largitur successorem talem, qui sit dignissimus ac Sanctae Maiestati Eius acceptissimus, supplicationes addere commendamus; demum ut hae literae nostrae cura RR. Decanorum transmittantur, ex ambonis publicentur, et valvis ecclesiae affigantur iniungimus.

Datum Cupieczoviae, 20 octobris 1774 anno.

264.

Kupieczovia, 30. XI. 1774.

De gravaminibus sibi illatis a Coadiutoribus (pars);

APF, *Scrith. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 11, f. 838-839.

Copia epistolae Ill.mi Metropolitani Russiae ad Excell.mum D. Nuntium Poloniae, de die 30. 9bris 1774, Kupieczovia scriptae.

Illustrissime etc.

Humillime expono Excellent.mae Vestrae Ill.mae Dominationi quanta tolerantia, quantave patientia dolores ex impracticatis violentiis mihi obvenientes, quod videlicet die adhuc 7 praesentis Domini Coadjutores mei, adhibitis Militibus, Bona utriusque Mensae Metropolitanae et Episcopalis Vladimiriensis occupaverunt; possessionem eorum Bonorum pro se proclamaverunt; obedientiam subditorum receperunt; Custodias ubique locorum, ne quis ad aedificia Curialia adire possit, posuerunt; Claves ab omnibus depositis et rebus meis ad se receperunt; Commissarios meos et oeconomos sub arestum acceperunt, et detinent; fere omnes equos ex stabulis alios expulerunt, aliis vero nec foenum, nec pabula subministrare iusserunt, et respective inhibuerunt. Cum vero ipse ego ad Residentiam meam solitam in Kupieczow ex Ukraina supervenerim, ibidem Milites cum hominibus ex parte Domini Coadjutoris Vladimiriensis subordinatis, sive ab eodem ad Regimen Bonorum dispositis, admittere me recursaverunt, ac tandem ad preces pro tempore brevi ad cubiculum mihi intranti, tempore moderno (f. 838v) hyemali fornaces calefacere praepediverunt, etiam in iisdem fornacibus, quam in Culinis, aqua ignem extinxerunt, Praesbyteros, assistentes, Coquos, atque Cancellarium propulerunt; reditus Bonorum una cum iisdem assignatis ab utrisque respective Coadiutoribus, superimmissis hominibus interceperunt; nonnullos etiam mihi assistentes incarcerarunt, protruserunt, et nulla sibi data occasione percusserunt; catenisque ferreis ligandos fore appromisserunt, et memet ipsum ligandum foenestrasque Cubiculi mei amovendas, ac frangendas proclamaverunt, Lithuaniamque ex Volhinia revehendum appromiserunt. Quapropter cum hoc, ut praemittitur, modo nec mihi nec Curialibus meis quidquam ad victum et sufficientiam datum, aut permissum sit, ideo vi-

cini Patriotae et Amici mei, mediante Christiana Caritate atque compassione nonnullos equos cum hominibus ad praedia sua hereditaria susceperunt, alios vero homines itidem et equos in alienis Cauponis collocare et de ultimo asse alere infelici hujusmodi necessitate cogor. Personam autem meam iidem vicini, cum difficili nimis aditu, quibus possunt modis visitantes nonnulla supplementa tanquam incarcerato adferunt secreta, ex quibus pulmenta cum duobus tantum pueris, circa me ad inserviendum derelictis, solus in camino propter me preparare debeo, neque medicum (f. 839) neque Presbyterum ullum in tanta aetate praesentem habeo aut habere possum, Coadjutores vero mei omnes fruges et omnia mobilia propter se recipiunt, iisque fruuntur. Quae fidelissime relata videt Deus et Populus...

FELICIANUS WOŁODKOWICZ, Archiep. Metr. totius Russiae
ex Bonis omnibus expulsus nihil habens et possidens.

N.B. Ex incarceratione, quam patior, peto misericordiam pro me et Aulicis meis et subditis, qui militum oppressione premuntur egestate de moderna caristia (*manu propria*)

265.

Kupieczovia, 30. XI. 1774.

Amplissima expositio de gravaminibus sibi illatis a Coadiutoribus in administratione bonorum.

APF, *Scrutt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, v. 41, ff. 798-799v.

Eminentissime et Reverendissime Princeps, Domine,
Domine Protector Clementissime.

Sanguineis lachrymis suffusus, provolvo me ad pedes Vestrae Eminent. mae Rev. mae Dominationis quem et unicam Sanctam Apostolicam Sedem, post Deum Ter Optimum Maximum, pono in omni gloria mea, eique secundum conscientiam et honestatem fideliter et humillime expono, quod videlicet praesenti Mense Novembri Domini Coadjutores mei, adhibitis militibus, Bona utriusque mensae Metropolitanae et Episcopalis Vladimiriensis occupaverunt, possessionem eorundem Bonorum pro se proclamaverunt, et Actis Terrestribus atque Castrensibus inscribere fecerunt, obedientiam subditorum receperunt, Custodias ubique locorum, ne quis ad aedificia curialia adire possit, posuerunt, claves ab omnibus depositis et rebus meis ad se receperunt, Commissarios meos et oeconomos sub arrestu acceperunt, ac ad usque fere omnes sub illis detinent; equos ex stabulis alios expulerunt alijs vero nec fenum, nec pabula subministrare jusserunt, et respective inhibuerunt; cum vero ipse ego ad Residentiam meam solitam in Kupieczow supervenerim ex Ukraina milites cum hominibus ex parte Domini Coadjutoris Vladimiriensis subordinatis sive ab eodem ad Re-

gimen Bonorum dispositis admittere me recusaverunt, ac tandem ad preces pro tempore brevi ad cubiculum mihi intranti, tempore moderno hyemali, calefacere fornaces praepediverunt, et tam in iisdem fornacibus quam in Culinis, aqua ignem extinxerunt, Presbiteros assistentes, Coquos, atque Cancellarium propulerunt, reditus Bonorum una cum iisdem assignatis ab utrisque respective Coadjutoribus, superimissis hominibus, interceperunt, nonnullos etiam mihi Assistentes incarcerarunt, protruserunt, et nulla sibi data occasione percusserunt, catenique ferreis ligandos fore appromiserunt, et memet ipsum ligandum, fenestrasque Cubiculi mei amovendas, ac frangendas proclamaverunt, Lithuaniamque ex Volhunia revendum appromiserunt. Quapropter cum hocce ut praemittitur modo nec mihi, nec Curialibus meis, quidquam victum et sufficientium datum, permissum sit, ideo vicini Patriotae, et amici mei, mediante Charitate Christiana, atque compassione, nonnullos equos cum hominibus ad Praedia sua haereditaria susceperunt, alios vero homines itidem et equos in alienis Cauponis collocare, et de ultimo asse alere infelici hujusmodi necessitate cogor. Personam autem meam iidem vicini, cum difficili nimis aditu, quibus possunt modis visitantes, nonnulla supplementa, tanquam incarcerato, adferunt secrete, ex quibus pulmenta, cum duobus tantum pueris circa me ad inserviendum derelictis, solus in camino propter me praeparare debeo, neque Presbyterum ullum in tanta aetate praesentem habeo, aut habere possum, Coadjutores vero mei omnes fruges, et omnia mobilia propter se recipiunt, iisque fruuntur, quae fidelissime relata videt Deus, et Populus.

(f. 798v) Recta conscientia dicere possum: quia in omni vitae meae tractu nihil unquam praetermisi, quod in jus Catholicae Religionis non reportaret incrementum, et unde aeternae animarum saluti melius esset consultum, charitatem pietatemque intimam atque obedientiam erga Serenissimum Regem, Dominum meum Clementissimum, tanquam verus et fidelis subditus ejusdem nec non erga Rempublicam Polonam tanquam sacrosancta observare desidero; quare igitur tanta substineo Martyria, atque jurium a Serenissimis Principibus Poloniarum et Republica Dignitati Metropolitanae benigniter indultorum infirmationem?

In mala hora, uti notissimum est Vestrae Eminent. mae Rev. mae Dominationi, ad insinuationem expressam Excellentissimi, Ill. mi Domini Nuntij Apostolici, sub certis conditionibus, subscripseram jurisdictionem spiritualem pro Coadjutoribus meis eandemque circularibus literis promulgaveram,²⁸² utrique eidem Coadjutori per 5 decem millia florenorum

²⁸² Cfr. supra, de dat. 23.IV.1774.

Poloncialium quotannis exsolvenda assignaveram, salvis tantum nonnullis juribus in iisdem circularibus specificatis, ac praecauta jurisdictione, sive administratione Bonorum omnium ad utramque Mensam spectantium.

Hoc tandem unice motivo quo pro adimplendis substantialibus in transactionibus praecautis conditionibus, signanter pro exsolutione mihi a Coadjutoribus debitorum 71.247 florenorum Poloncialium grossorum 18, et solid. 2, ex redivisibus tempore administrationis, aliisque rebus perceptorum ante omnia insteteram (: ad quem etiam effectum, successive Informationem in jure et facto conscriptam, ac typis mandatam coram Tribunali Nuntiaturae Apostolicae jam produxeram, atque Sanctae Fidei propagandae Congregationi transmiseram :), fueram anticipative accusatus sive sinistre delatus ad Ordines Confoederatos Reipublicae, acsi (: quod Deus avertat :) essem inobediens Sanctae Sedi Apostolicae et Bona deteriorarem, promanavit Sancitum Generalis Ordinum Confoederationis, de quibus sub die 25 Augusti currenti anno in literis meis Vestrae Eminent. mae Rev. mae Dominationi datis latissimam feci cum explicatione relationem et praetacta Informatione typis mandata, concludentius documentaliter rem omnem demonstrat, unde Sancitum illud revocandum esse omnino deberet, suffragantibus specialibus permultis Metropolitanorum Privilegijs. Enim vero Vladislaus Jagiellowicz Rex per suum Diploma Budae subscriptum,²⁸³ Bona ad Ecclesias spectantia cuilibet juxta jus suum praecavit, turbareque jurisdictiones spirituales Dignitarijs et alijs inhibuit. Sanctissimus Pater Clemens VIII Papa, anno 1596, in Brevi pro Ruthenis (f. 799)²⁸⁴ edito decrevit sequentia: quae enim expetere visi sunt, libenter quantum cum Domino licuit concessimus, Sigismundo Regi filio Nostro Carissimo, vos et Ecclesias Vestras earumque Bona efficaciter commendavimus, atque ab eo petivimus, ut non solum vos et vestra sua ope et autoritate tueatur, sed etiam ut vos amet et amplifcet, et Senatoribus Regni adscribat.-Hinc Michael Rohoza Metropolita Russiae tales favores, gratias, atque libertates a Serenissimo Rege Sigismundo III obtinuit, atque Confirmationes antiquorum favorum et Privilegiorum recepit, quales in sola Metropolitanorum persona representantur vel maxime vero intuitu administrationis et dispositionis Bonorum, non modo ad propriam mensam pertinentium, verum etiam aliarum Ecclesiarum in casibus vacantium, eosdemque favores integros, et intactos solis Metropolitanis re-

²⁸³ Vladislaus Rex Poloniae et Hungariae (1434-1444), sub dat. 22.III.1443; dein vero a plurimis regibus Poloniae confirmatum. Cfr. Harasiewicz M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, pag. 78-81.

²⁸⁴ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum*; vol. I, pag. 245, nr. 135, de dat. 7.II. 1596 et alia quam plurima.

liquit, atque conservavit, praecavendo suo et Serenissimorum Successorum suorum nomine, ne in minimis a quocunque horum favorum fiat diminutio, super qua Metropolitanae (sunt verba Privilegij) jure agere tenebuntur. Quas gratias itidem Joannes III Rex²⁸⁵ suo Diplomate in haec verba: Ad nostra studia et conatus applicamus, ut Majestas Sancta ex Regimine nobis concredito Divinam suam habeat consolationem, et omnia jura, privilegia et libertates in suo robore, cujuscunque status et conditionis hominibus Dominationum Nostrarum in pactis conventis conservatae remaneant et juramento nostro roboratae existant, anno 1676 ratihabuit et in perpetuum consevavit.-Praeterea Constitutio Comitiorum Generalium Varsaviensium anno 1631, tit. de Bonis Episcoporum Ruthenorum et Ecclesijs, ubi obloquitur occasione invasionum, et designat poenalitates, illico superaddit: « Eidem poenalitati et foro qui ausus esset illegitime narrata expetere, subjacebit ». Non desunt quoque alia Diplomata tam de non derogandis juribus tempore Confoederationum quam de non recipiendis Bonis nisi jure victis.

Dum post productam in Tribunali Nuntiaturae Apostolicae Informationem in fundamento praemissorum proponebatur ex parte meam nonnullis ex Ordinibus Confoederatorum, ut praememoratum Sancti Decretum revocari possit, fuit responsum deferendo propositioni hac tamen sub Conditione, ut omnino praecedat notula cum voto Excellentissimi Ill.mi et R.mi Domini Nuntij Apostolici, quam notulam ad instantes et instantissimas deprecationes extradere noluit. Et cum ultra fuisset propositum, Sancitum toties dictum esse non modo mihi molestissimum et intolerabile, sed etiam Sanctae Apostolicae Sedis juribusque ecclesiasticis atque monarchicis praejudiciosam, respondit Ill.mus Dominus Auditor Nuntiaturae, non esse praejudiciosum, nec quidquam derogare ex eo, quia illud Sancitum nos ipsi exequamur, super quibus si opus esset quolibet in tempore jurata haberem testimonia.

Dignetur itaque Vestra Eminent.ma R.ma Dominatio animadvertere, quae ego hic inserui tali in tempore, et in talibus circumstantijs positus possum habere remedia, cum Tribunal Apostolicum Nuntiaturae causam hanc delporatam qualitercunque, licet ipsae violentiae continuae et Sancitum accelerationem ipsius expetunt, non decidat, verum Instrumentum Commissionum toties quoties ad Compromissarios ex solis delationibus secretis extradat, Coadjutoribus tribuat titulum Administratorum Apostolicorum, quo utuntur. In iisdem suis instrumentis brachium saeculare adhibendum permittat, ut ita omni ex parte formaretur falsitas, acsi ego

²⁸⁵ Joannes III Sobieski, rex Poloniae (1674-1696).

viribus alicui active me oponerem, quod nunquam probari potest, imo super patientiam meam magnam et oppressiones, omnes compatiuntur Cohabitatores.

(f. 799v) Si post iudicatum tametsi in Tribunali Apostolico Nuntiatu-
turae, unicum idem iudicatur, ut aliqua mihi vis inferretur, minus dolerem,
verum morti comparandae mecum practicatae actiones, hic enim non
iudicatur, hinc vis infertur et in dies nova emergentia procreatur.

Hinc hujusmodi inconvenientias, ne Vestra Eminent.ma Rv.ma Domi-
natio ultro crescere permittat, ejus summam protectionem humillime ro-
go, instantissimisque obsecro precibus, et quidem juxta conclusionem In-
formationis meae, quam alias Eminentissimis Patribus ad plenam Con-
gregationem transmisi, ut videlicet proventus perceptos ad summam alte-
citatem ascendentes, praeter damna servata et quotidie attentata sub
nullitate actus Concordiae exsolvant, id est jurisdictionem spiritualem
pridem occupatam, et Bona ad mentem Decreti Reintegrationis dimit-
tant, Sancitum Decreti executioni mandare ne audeant, verum ab execu-
tione ejusdem jam attentata atque violentijs recedant et abstineant, mi-
litesque de Bonis avocare studeant, quam gratiam demississime iterum
iterumque, ad pedes provolutus, expostulo, et interea cum profundissimo
cultu et Sacrae Purpurae osculo maneo

Eminentiae Vestrae Reverendissimae Suppedaneus humillimus, ob-
sequentissimus Servus et continuus Exorator

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. Metropolitanus
totius Russiae (mp).

266.

Kupieczovia, 30. XI. 1774.

De gravaminibus sibi illatis a Coadiutoribus amplissima relatio historica.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 89, fol. 217-218v.

Illustrissime, Excellentissime et Reverendissime Domine
Domine Patrone Colendissime.

Humillime expono Excellent.mae Vestrae Illustrissimae Dominatio-
ni quanta tolerantia, quantave patientia fero dolores ex impracticatis vio-
lentiis mihi obvenientibus, quod videlicet die adhuc septima praesentis
Domini Coadiutores mei, adhibitis militibus, Bona utriusque Mensae Me-
tropolitanae et Episcopalis Vladimiriensis occupaverunt; Possessionem eo-
rundem Bonorum pro se proclamaverunt et Actis Terrestribus atque Ca-
strensibus inscribi fecerunt; obedientiam subditorum receperunt; Custodias
ubique locorum, ne quis ad aedificia curialia adire possit, posuerunt;
Claves ab omnibus depositis et rebus meis ad se receperunt; Commissarios

meos et oeconomos sub arestu acceperunt, et detinent fere omnes; equos ex stabulis alios expulerunt, aliis vero nec fenum, nec pabula subministrare jusserunt, et respective inhibuerunt. Cum vero ipse ego Residentiam meam solitam in Kupieczow ex Ukraina supervenerim, ibidem Milites cum hominibus ex parte Domini Coadjutoris Vladimiriensis subordinatis, sive ab eodem ad Regimen Bonorum dispositis, admittere me recusaverunt, ac tandem, ad preces, pro tempore brevi ad Cubiculum mihi intranti tempore moderno hyemali fornaces calafacere praepediverunt et tam in iisdem fornacibus, quam in culinis, aqua ignem extinxerunt, Presbyteros assistentes, Coquos, atque Cancellarium propulerunt; reditus bonorum una cum iisdem assignatis ab utrisque respective Coadjutoribus supermissis hominibus interceperunt. Nonnullos etiam, mihi assistentes incarcerarunt, intruserunt, et nulla sibi data occasione percusserunt, catenisque ferreis ligandos fore appromiserunt, et memet ipsum ligandum fenestrasque cubiculi mei amovendas, ac frangendas proclamaverunt, Lithuaniamque ex Volhynia revehendum appromiserunt. Quapropter cum hoc ut praemittitur modo nec mihi nec Curialibus meis quidquam ad vitam et sufficientiam datum, aut permissum sit, ideo vicini Patriotae et Amici mei mediante Christiana Charitate atque compassione nonnullos equos cum hominibus ad praedia sua haereditaria susceperunt, alios vero homines itidem et equos in alienis Cauponis collocare et de ultimo asse alere infelici hujusmodi necessitate cogor. Personam autem meam iidem vicini, cum difficili nimis aditu, quibus possunt modis visitantes, nonnulla supplementa, tanquam incarcerato offerunt secrete, ex quibus pulmenta, cum duobus tantum pueris circa me ad inserviendum derelictis, solus in camino propter me praeparare debeo, neque Medicum, neque Presbyterum ullum in tanta aetate praesentem habeo, aut habere possum. Coadjutores vero mei omnes fruges, et omnia mobilia propter se recipiunt, iisque fruuntur quae fidelissime relata videt Deus et Populus.

Quid in omni tractu vitae meae mali feceram? Caritatem pietatemque erga Serenissimum Regem Dominum meum Clementissimum uti verus et fidelis subditus ejusdem, nec non erga Rempublicam Polonam sacrosanctae observare desidero; quare igitur (f. 217v) tanta substineo Martyria atque jurium a Serenissimis Principibus Poloniarum Republicae Dignitati Metropolitanae benigniter indultorum infirmationem.

Anno 1767, prout in memoriam mihi reducere possum, ad instantissimas insinuationes feceram accessum Confaederationi, verum expresse et in terminis: pro Regia Majestate, fide Catholica et libertate, nec aliter manum apposueram. Clarius igitur caritas erga Patrem Patriae nunquam apparere potest, quam in talibus circumstantiis.

Subscripseram quidem in mala hora jurisdictionem spirituales, et

per quindecim Millia florenorum exsolvenda assignaveram, verum et hic jurisdictio per totum manet in manibus et in possessione Dominorum Coadjutorum, quoad pensiones vero alter Bona assignata et debitum Cathedralitici, alter idem debitum longe portionem praesuperantia possidet, nec illa adimplet quae adimplere deberet.

Si vero ego pro adimplendis substantialibus in transactionibus praecautis conditionibus, signanter pro exsolutione mihi debitorum 71.247 florenorum polonicalium, gross. 18, et solidorum 8, ex redditibus tempore Administrationis, aliisque rebus perceptorum insto, hinc accusari et deferri ad Ordines Confoederatos Reipublicae, ac si (quod Deus avertat) essem inobediens Sanctae Sedi Apostolicae et Bona deteriorarem, unde Sancitum promanavit, non debeo, cum jura nemini sint deneganda, adeoque Sancitum illud non exequendum, sed revocandum omnino esse deberet suffragantibus specialibus permultis Metropolitanorum Privilegiis. Enim vero Vladislaus Jagiellowicz Rex, per suum Diploma Budae subscriptum, Bona ad Ecclesias spectantia cuilibet juxta jus suum praecavit, turbare jurisdictiones spirituales Dignitariis et aliis inhibuit. Sanctissimus Pater Clemens VIII Papa anno 1596 in Brevi pro Ruthenis edito decrevit sequentia: « Quae enim expetere visi sunt libenter quantum cum Domino licuit concessimus, Sigismundo Regi, filio Nostro Carissimo, Vos et Ecclesias Vestras, earumque Bona efficaciter commendavimus, atque ab eo petivimus, ut non solum vos et vestra, suo ope et autoritate tueatur, sed etiam vos ornet et amplifcet, et Senatoribus Regni adscribat ». Hinc Michael Rohoza, Metropolita Russiae, tales favores, gratias, atque libertates, a Serenissimo Rege Sigismundo III obtinuit, atque Confirmationes antiquorum favorum et Privilegiorum recepit, quales in sola Metropolitanorum persona representantur vel maxime vero intuitu administrationis et dispositionis Bonorum non modo ad propriam Mensam pertinentium, verum etiam aliarum Ecclesiarum in casibus vacantium, eosdemque favores integros, et intactos solis Metropolitae reliquit, atque conservavit, praecavendo suo et Serenissimorum Successorum Suorum nomine, ne in minimis a quocunque horum favorum fiat diminutio, super qua Metropolitanae (sunt verba Privilegii) jure agere tenebuntur (f. 218). Quas gratias itidem Joannes III Rex suo Diplommate in hac verba: Ad haec Nostra studia et conatus applicamus ut Majestas Sancta ex Regimine Nobis concredito, Divinam Suam habeat Consolationem, et omnia Jura, Privilegia et Libertates in suo robore cujuscumque Status et conditionis hominibus Dominationum Nostrarum pactis conventis conservatae remaneant et Juramento Nostro roboratae existant, anno 1676 rati habuit, et in perpetuum conservavit. Praeterea Constitutio Comitiorum Generalium Varsaviensium anno 1631, tit. de Bonis Episcoporum Ruthenorum, et Ecclesiis, ubi oblo-

gnitur occasione invasionum et designat poenalitates, illico superaddit: « Eidem poenalitati et foro qui ausus esset illegaliter Bona Spiritualia possidere, illa inquietare, aut a Nobis ad mala narrata expetere subja- cebit ». Non desunt quoque alia Diplomata de non derogandis juribus tempore Confoederationum et non recipiendis Bonis nisi Jure evictis. Adeoque Excellentissima Vestra Reverendissima Illustrissima Dominatio dignabitur sine mora ex producta jam informatione in hujusmodi deplora- rata causa aliquod praefinire, ut sine ullo judicato vim tantam, et Mar- tyria non sustineam, Ordines vero Confoederatos Sua Autoritate me- diante notula expetere, ut ab executione abstineant milites, donec ali- quid fuerit judicatum, cum lacrymis provolutus ad pedes iterum iterum- que Suam Excellentissimam Illustrissimam Dominationem expostulo. Utique si res agitur de concordia, praesto est ratio legalis, manus ad ean- dem appositae non Ordinum Confoederatorum, verum Sanctissimi Domini, Sanctaeque Sedis Apostolicae, adeoque Sancita forent petenda ibi, ubi partes spectant de jure, et specialiter per concordiam se submiserunt.

Ad binas epistolas Vestrae Excellentissimae Illustrissimae Domina- tionis, alteram de 13, alteram vero de 27 elapsi Octobris ad me datas adus- que non rescripseram ex eo, quia tum in itinere fuerim tum Cancellariam propulsam cum Kupieczoviam advenerem habui, sicut et modo id ipsum habeo, nihilominus quantum potui, tantum diligentissime curavi, exequi mandata Vestrae Excellentissimae Illustrissimae Dominationis ac ob- jacturam ex obitu Sanctissimi Patris et Domini Nostri Clementis XIV luctum non minus dolenter quam amanter Clero et Populo communicare feci publicasque de more preces, quibus et defuncti Sancti Pontificis ani- mae justa persolvantur, et Divinum imploretur auxilium, quo a Patre luminum et misericordiarum electio novi Pontificis celerius impetretur, indixi.

Delationes, exceptiones, et quaevis impedimenta de quibus Vestra Excellentissima Illustrissima Dominatio fuit dignata ad me scribere, uti- que in jure agendi sunt licita, non tamen ego his manus ligare possum ju- stitiae imo eidem totum me subiicio. Si invenero reus, jubeat Excellen- tissima Vestra Illustrissima Dominatio me judicare, judicatis enim parere volo, nec aufugio a rigore Superiorum judiciali; si innocens apparebo, di- gnabitur Sua Protectione me defendere. Novam vero concordiam insti- tuere quomodo possum, cum anteriori satisfactum non est. Credat Excel- lentissima Vestra Illustrissima Dominatio (f. 218v) quod illos omnes ad Tribunal Divinum vocabo in Extremo Dei Judicio, qui me innocentem gratissime opprimunt. Pono spem et fiduciam post Deum in Protectione Suae Excellentissimae Illustrissimae Dominationis, cui me miserrimus commendo atque cum distinctissimo cultu maneo

Excellentissimae Vestrae Reverendissimae Dominationis Servus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Kupieczoviae, die 30 Novembris, 1774 anno.

Ex bonis omnibus expulsus, nihil habens et possidens (mp).

Ex incarcerationatione qua patior peto misericordiam pro me et aulicis meis et subditis, qui militum oppressione premuntur egestate de moderna caristia.

fol. 217: Illustrissimus Dominus Nuntius Apostolicus.

267.

Vladimiria, 5. XII. 1774.

Protestatio contra gesta Coadiutorum in damnum Metropolitanæ.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 254rv.

Excerptum ex Actis Castrensibus Arcis Vlodimiriensis, 1774 anno,
mense Decembris 5ta die.

In solita cadentia iudiciorum Castrensiu Vlodimiriensiu die 1ma mensis et anno supra expressis incidentium, ac juridice celebrari inchoatorum. Coram me Gasparo, Ioanne Nepomoceno, Tribuno et Vice-Capitaneo iudiciorum Castrensiu Vlodimiriensiu Actisque presentibus Castrensibus, Capitanealibus. Comparens personaliter M.D. Franciscus Xaverius Wolodkovicz Dapiferides Palatinatus Minscensis, Filiaster Ill.mi ac Rev.mi Domini Feliciani Philippi Wolodkovicz, Archiepiscopi Metropolitanus totius Russiae Episcopi Vlodimiriensis et Brestensis, Archimandritæ Kijovo Peczarensis nomine ac tanquam specialis Plenipotens, consulendo indemnitati Bonorum ejusdem Metropolitanus, contra Ill.mos, Rev.mos Leonem Szepycycki, Episcopum Leopoliensem, Metropolia et Antoninum Miodowski, Brestensem, Episcopatus Vlodimiriensis Coadjutores, nec non eorum Commissarios, caeterosque Magnificos eorumdem Ill.morum Coadjutorum mandatorum Executores, per nomina et cognomina imposterum specificandos, de nullitate omnium et singulorum dispositionum praepotentia factarum et faciendarum, tum contra fas et jus apprehensae possessionis, tam in Bonis Mensae Metropolitanæ, quam etiam Episcopatus Vlodimiriensis, adhibito brachio militari, nulla convictione juridica praecedente, praemonendo item Oeconomos Dispositores praedictorum Bonorum, quatenus ullus ipsorum loco suo cedere, commissum gubernium deserere, expensas, etiam pro sustentatione violenter disponentium, sine quietationibus facere audeat et praesumat. Quapropter

iterum atque iterum praecavendo integritatem bonorum mobilium et immobilium proventuum, omnisque tituli substantiae Ill.mi Principalis sui manifestantis Patruī, salva in posterum latiori omnium injuriarum, quas Ill.mus Metropolitā passus et pati cogitur specificatione in diligentia manifestatur. Franciscus (f. 254v) Xaverius Wolodkowicz, Dapiferides Palatinatus Minscensis.

A quibus Actis praesens excerptum, sub sigillo Castrensi Vlodimiriensi est extractum. Scriptum in arce Vlodimiriensi.

Correxit Macewicz, mp. (L.S.)

Legit cum Actis Zurawski, mp.

268.

Vladimiria, 5. XII. 1774.

Protestatio Plenipotentiarīi Metropolitani contra omnia attentata Coadiutorum in damnum Metropolitae.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 256; f. 255 (orig. polon.)

Extractum ex Actis Castrensibus Vladimiriensibus. Anno Domini 1774 die 5 Decembris.

Coram me Gasparo Ianne Nepomuceno Kozłowski, Tribuno et Vice Capitaneo actisque praesentibus Castrensibus Vlodimiriensibus. comparens personaliter Gen.sus Dominus Franciscus Xaverius Wolodkowicz Dapiferides Palatinatus Minscensis, nomine Ill.mi Domini Feliciani Philippi Wolodkowicz, Metropolitae totius Russiae et Episcopi Vladimiriensis, vigore specialis Plenipotentiae, praecavendo indemnitati Bonorum ejusdem Ill.mi Domini Metropolitani uti et omnium proventuum, contra Ill.mos Dominos Leonem Szeptycki, Episcopum Leopoliensem, Metropoliae, et Antoninum Młodowski, Episcopum Brestensem, Episcopatus Vladimiriensis Coadjutores, uti et omnes alios de nomine et cognomine in post specificandos, Executores mandatorum eorundem DD. Coadjutorum, de nullitate omnium actuum et dispositionum violenter factarum, tum illegaliter inscriptarum possessionum, Bonorum utriusque mensae tam Metropolitanae Kioviensis quam Episcopatus Vladimiriensis, adhibito brachio militari, absque ulla convictione legali, praemonendo pariter oeconomos Dispositores ne locis suis cedant etc. Manifestatur etc.

269.

Kupieczovia, 15. XII. 1774.

Eadem gravamina exponuntur Praefecto S.C. de Prop. Fide.

APF, *Scrutt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 11, f. 795rv.

Eminentissime et Rev.me Princeps, Domine,
Domine Protector Clementissime.

Emin.mus Dnus Princeps Cardinalis Boschi, etc.

Lacrymis sanguineis suffusus, provolvo me ad pedes Vestrae Eminentissimae Rev.mae Dominationis eique humillime expono, quod Domini Coadjutores mei, adhibitis Militibus, Bona utriusque Mensae Metropolitanae et Episcopalis Vladimiriensis occupaverunt, possessionem eorundem Bonorum pro se proclamaverunt, et Actis Terrestribus, atque Castrensibus eam inscribi fecerunt, obedientiam subditorum receperunt, custodias ubique locorum, ne quis ad aedificia curialia adire possit, posuerunt, claves ab omnibus depositis et rebus meis ad se receperunt, Commissarios meos et Oeconomos sub arestu acceperunt, seu iisdem locis moveri sine custodia militari interdixerunt; Equos ex stabulis alios expulerunt, alij vero nec fenum, nec pabula subministrare jusserunt, et respective inhibuerunt; cum vero ipse ego ad Residentiam meam solitam in Kupieczow supervenerim ex Ukraina, ibidem milites cum hominibus ex parte Domini Coadjutoris Vladimiriensis subordinatis, sive ab eodem ad regimen Bonorum dispositis, admittere me recusaverunt, ac tandem, ad preces, pro tempore brevi ad cubiculum mihi intranti, tempore moderno hyemali calefacere fornaces praepediverunt, et tam in iisdem fornacibus, quam in culinis, aqua ignem extinxerunt, Presbyteros assistentes, coquos atque Cancellarium propulerunt, redditus Bonorum una cum iisdem assignatis ab utrisque respective Coadjutoribus, superimmissis hominibus, intercepterunt; nonnullos etiam mihi assistentes incarcerarunt, protruserunt, et, nulla sibi data occasione, percusserunt, catenisque ferreis ligandos fore appromiserunt, et memetipsum ligandum, fenestrasque cubiculi mei amovendas ac frangendas proclamaverunt, Lithuaniamque ex Volhynia revendum appromiserunt. Quapropter, cum hoc, ut praemittitur modo, nec Curialibus meis quidquam ad victum et sufficientiam datum, aut permissum sit, ideo vicini Patriotae, et amici mei, mediante charitate christiana atque compassione, nonnullos equos, cum (f. 795v) hominibus, ad praedia sua haereditaria susceperunt, alios vero itidem homines et equos in alienis cauponis collocare, et de ultima miseria alere, infelici hujusmodi cogor necessitate. Personam autem meam iidem vicini, cum difficili nimis aditu, quibus possunt modis visitates, nonnulla supplementa tanquam incarcerato secrete adferunt, ex quibus pulmenta, cum duobus tantum pueris circa me ad inserviendum derelictis, solus in camino propter me praeparare, victuque vilissimo vivere assuesco, neque medicum neque Presbyterum ullum in tanta aestate admissum habeo, quae fidelissime secundum conscientiam et honestatem refero, videt ipse Deus et Populus.

In omni tractu vitae meae, nihil unquam praetermisi, quod majus Catholicae Religionis non reportaret incrementum, et unde aeternae animarum saluti melius esset consultum. Quare, ne Vestra Eminentissima Rev.ma Dominatio crescere tantas Dominorum Coadjutorum meorum inhumanitates et inconvenientias, ac in sequelam propter me martyria permittat, summam ejus protectionem humillime rogo, instantissimisque obsecro precibus. Quam gratiam Deus Ter Optimus Maximus remunerabitur, quem ego indignus placare, pro felicissimis Vestrae Eminentissimae Rev.mae Dominationis successibus nunquam desistam. Interea cum profundissimo cultu et osculo Sacrae Purpurae maneo.

Eminentiae Vestrae Reverendissimae Suppedaneus infimus, et continuo Exorator

F. WOŁODKOWICZ, Archiep. Metropolita totius Russiae (mp).
Die 15. Xbris, 1774 Anno. Kupieczoviae.

270.

Kupieczovia, 15. XII. 1774.

De iniuriis sibi illatis a Coadiutoribus in administratione bonorum.

APF, *Svitt. rij. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 11, f. 797rv.

Illustrissime, Excell.me Domine,²⁸⁶

Domine, Patrone Singularissime.

Illustrissimus Dominus Borgia, Secretarius.

Lacrymis sanguineis suffusus, provolvo me ad pedes Vestrae Excellentissimae, Illustrissimae Dominationis eique homillime expono, quod Domini Coadjutores mei, adhihilis militibus, Bona utriusque mensae Metropolitananae et Episcopalis Vladimiriensis occupaverunt, possessionem eorundem Bonorum pro se proclamaverunt, et Actis Terrestribus eam inscribi fecerunt, obedientiam subditorum receperunt, custodias ubique locorum, ne quis ad aedificia Curialia adire valeat, posuerunt, claves ab omnibus depositis, et rebus meis ad se receperunt, Commisarios meos et Oeconomos sub arestu acceperunt, seu ijsdem locis moveri, sine custodia militari interdixerunt, equos ex stabulis alios expulerunt, alijs vero nec fenum nec pabula subministrare jusserunt, et respective inhibuerunt. Cum vero ipse ego, ad Residentiam meam solitam in Kupieczow supervenerim, ex Ukraina, ibidem milites cum hominibus ex parte Domini

²⁸⁶ Stephanus Borgia, Secretarius S.C. Prop. Fide (1770-1789) dein Praefectus (1800-1804).

Coadjutoris Vladimiriensis subordinatis sive ab eodem ad Regimen Bonorum dispositis admittere me recusaverunt, ac tandem, ad preces, pro tempore brevi, ad cubiculum mihi intranti tempore moderno hyemali calefacere fornaces praepediverunt, et tam in iisdem fornacibus quam in Culinis, aqua ignem extinxerunt, Presbyteros assistentes, coquos atque Cancellarium propulerunt, redditus Bonorum una cum iisdem assignatis ab utrisque respective Coadjutoribus, superimissis hominibus interceperunt, nonnullos etiam mihi assistentes incarceraverunt, protruserunt, et nulla sibi data occasione percusserunt, catenisque ferreis ligandos fore appromiserunt, et memet ipsum ligandum, fenestrasque cubiculi mei amovendas, ac frangendas proclamaverunt, Lithuaniamque ex Volhynia revehendum appromiserunt. Quapropter, cum hoc ut praemittitur modo nec mihi, nec Curialibus meis quidquam ad victum et sufficientiam datum, aut permissum sit, ideo vicini Patriotae et amici mei, mediante charitate christiana atque compassione, nonnullos equos cum hominibus ad praedia sua haereditaria susceperunt, alios vero itidem homines et equos in alienis Cauponis collocare, et de ultima miseria alere infelici (f. 797v) hujusmodi cogor necessitate. Personam autem meam iisdem vicini, cum difficili nimis aditu, quibus possunt modis visitantes, nonnulla supplementa tanquam incarcerato secreta adferunt, ex quibus pulmenta, cum duobus tantum pueris circa me ad inserviendum derelictis, solus in camino propter me praeparare, victuque vilissimo vivere assuesco, neque Medicum, neque Presbyterum ullum in tanta aetate admissum habeo, quae fidelissime secundum conscientiam, et honestatem refero, videt ipse Deus et Populus.

In omni tractu vitae meae nihil unquam praetermisi quod majus Catholicae Religionis non repertaret incrementum, et unde aeternae animarum saluti melius esset consultum. Quare, ne Vestra Excellentissima Illustrissima Dominatio crescere tantas Dominorum Coadjutorum meorum inhumanitates, et inconvenientias ac in sequela propter me Martyria permittat, ejus interpositionem, et Authoritatem humillime rogo instantissimisque obsecro precibus. Interea cum distinctissima veneratione et observantia maneo.

Excellentiae Vestrae Ill. mae infimus servus et Exorator

F. WOLODKOWICZ, Archiep. Metropolita totius Russiae.

Die 15. Xbr. 1774, An. Kupieczoviae.

271.

Kupieczovia, 21. XII. 1774.

Nuntio Apostolico conqueritur de miserabili suo statu, post sequester bonorum Mensae et propriae personae ex parte Coadiutorum.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, f. 261-62.

Ill.me, Excell.me, Rev.me Domine, Domine, Patrone Colendissime.

Plurimum consolatae sunt me in praesenti tribulatione litterae Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae, ex quibus luculentissime cognovi super angustiis meis animi sui condolentiam, pollicitamque operam ad ea, quae justitiae, et aequitati atque canonicis sanctionibus, meaeque indemnitati fore consona. Hoc itaque motivo confisus in benevolentia Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae tam anterioribus suis literis, quam praesentibus, renovo preces meas, ut quemadmodum dignatur me cumulare promissis, ita quoque effective gratiae suae faciat participem. Quantum enim in persequendo me DD. Coadjutorum excrescunt conatus, tantum ipsa justitia, et aequitate, atque Vicaria Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae Sanctae Sedis Apostolicae Autoritate sperare licet protectionis.

Praeter ea quae in proxime anterioribus literis meis graphice descripseram, novas quotidianas a DD. Coadjutoribus experior molestias, ex eo vel maxime, quod non solum qualis statui et dignitati meae conveniret destitutus sum sustentatione per ademptionem omnium fructuum et proventuum de bonis mensae meae provenientium, summo affectus taedio, per amotionem et violentam expulsionem omnium fere servorum sanitati, et commoditati meae invigilantium, nec non vicinis, et amicis ad visitandum, et consolandum tum quoque in ultima necessitate mea providendum praecusum aditum. Ista generalia duntaxat molestiarum mearum generalium Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae expono, gravissimo ejusdem, et prudentissimo iudicio subiicio, utrum possit in barbara natione major excogitari servitus? an et cui magis quam de propria possessione pulsus (f. 261v) et debita sustentatione destitutus assistat aequitas, et justitia? cujus natura est unicuique ius suum reddere; quid denique gravius Sanctiones Canonicas vulnerat, quam Immunitatis Ecclesiasticae violatio, causae, et personarum Spiritualium jurisdictioni saeculari subiectio, et per eandem bonorum Ecclesiae dicatorum depopulatio? sive enim respiciantur primitivae me interet DD. Coadjutores factae controversiae, transactiones subsequenter revocatae, nullum est dubium illas, uti inter Personas et de re spirituali in foro competenti pro circumstantiis evanisse; sive perpendatur in anno 1772 conscripta Concordia nec ipsi DD. Coadjutores nec quisquam diffiteri debeat hanc Concordiam, quamvis cum meo in nonnullis praeiudicio, sub auctoritate tamen Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae conclusam, atque a Sancta Sede Apostolica approbatam extitisse.

Ejusdemque Concordiae contextu articulo 4to et 5to super proventibus tempore praetensae administrationis DD. Coadjutorum nulliter, usurpative et contra praescriptam ipsis a Sancta Congregatione Propagandae Fidei regulam perceptis actionem reservatam fuisse et in sequelam hujus-

modi reservationis ad Tribunal Sacrae Nuntiaturae Apostolicae introductam, hucusque ampliatis dilatationibus partis adversae, cum unico motivo ut hoc interstitio angarisationes patiar, et bona ad extremam deducant devastationem, protrahi. Cum itaque ex modernis gestis DD. Coadjutorum clare appareat eosdem requisita potestate saeculari in bona ecclesiastica milites introducendo, et illa devastando, mihiq̄ue personales molestias inferendo, jurisdictionem Sanctae Sedis Apostolicae Apostolicae et Vicariam Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae laesisse, Concordiae controvenisse et illam rescidisse, atque Suprema Pontificia Autoritate firmatam iudicio saeculari et discussioni subiecisse, immunitatem ecclesiasticam personalem et localem (f. 262) violasse, pendente in Tribunali Sacrae Nuntiaturae Apostolicae lite nova attentata contra juris et processum praescriptum perpetrasse, minime dubitare debeo, quod ejusmodi facta omni iudicio a praeventionibus purgata, justitiae et sanctionibus canonicis dissona censebuntur.

Removendis hisce praejudiciis et inconvenienciis obvium providere potest Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae Autoritas et jurisdictio, tam ex qualitate causae, et personarum, quam naturae transactionum, et praeventione competentissima, ad quam ego constanter recurrendo humillime supplico: *Imo*, quatenus Excellentia Vestra Ill.ma Rev.ma faveat accelerationem causae in Tribunali suo pendentis Illustrissimo Auditori suo post elapsam jam pridem dilationis concessae tempus commendare, quamvis enim Plenipotentibus meis aliqua obiceretur tarditas, ea tamen minime praejudiciosa Parti adversae fuit; cum tamen Illustrissimus Coadjutor Metropoliae in pacifica possessione Episcopatus Leopoliensis, alter Abbatiae Suprasliensis conservati extiterant, imo de meis quoque proventibus sortem longe majorem quam in Concordia designatam violenter extorserunt, meum autem statum hodiernum publicae quaerelae et testimonia fide dignorum misserrimum patentissime repraesentant; *2do*, inhaerendo communi juris et processus praescripto, ne lite pendente quidquam innovetur, pro revocatione noviter attentatorum contra Ill.mos Coadjutores, Excellentiae Vestrae Illustrissimae Rev.mae immediate subiectos, seorsiva juris remedia extradere dignetur.

(f. 262v) Quamvis maerore et planctu repleti sint dies senectutis meae, eosdem tamen in mox futuro anno, et in aevum longe prosperiores, et secundiores Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae ex animo apprecor, maneoque cum propensissimo cultu et veneratione

Excellentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae addictissimus et obsequiosus
Servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Die 21 Decembris, 1774 anno, Kupieczovia.

Clamans ex carcere vindicationem et misericordiam ne ab iniustitia
subear mortem

272.

Kupieczovia,..... 1774.

Alia querimonia Metropolitanae de iniuriis et oppressionibus.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 278-279.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
Protector Singularissime.

Duo sunt, quae ex Litteris Ill.mae Excellentiae Vestrae nuper plenissime didici; alterum duntaxat moniti, alterum quoque solatii subsidium praeseferens speciem. At vero quemadmodum cuncta perjucunda mihi essent ejus consilia, ita pariter quoque semper honoranda monita forent. Nisi medius fidius partium miseri Sectatores pro libitu et zelotypia sua sinistram de nobis apud Excellentiam Vestram formarent opinionem. Contigit enim vero ante aliquot tempus venisse ad me quosdam inclytos e numero Cleri Decanos humiliter exponentes desideria sua; ut sibi, scilicet, quovis meliori modo vitare liceat gravaminosas extorsiones, quae passim fieri solent per Ministros Illustrissimorum Coadjutorum penes supeditanda et distribuenda Olea Sancta. Venerunt itaque quidam Decani nec non Hierarchicum et quidem primarium Officium Nostrum (ut saepe fieri solet, et in similibus fieri debere optime norunt), sin minus plena et debita, aliqua tamen recognitione, gratique animi testificatione pro supeditatis Oleis Sanctis nos persecuti sunt; et hac methodo sibi suisque Decanatibus consuluerunt, utpote sortiti ea, quae et justitia exigit, et gratitudo non praetermittit.

Quid igitur de reliquis consilii capiendum esset? non invenio; etenim si negavero quae debentur iniquus debitor comparebo; sin vero ea quae Officii mei sunt, iis qui Officium meum nullum existimant, meque civiliter jam mortuum nihili ducunt, libenter praestitero, vereor me reliquis Metropolitanis praejudicium faciam; statui itaque ut singulis qui similia similiter desideraturi venissent, iis perlibenter Olea Sancta extradantur, et distribuantur. Quod tandem beneficii genus mira quadam metamorphosi pro symbolo (f. 278v) clementiae virulenta mihi praeparavit venena. Cum jam vel inde novam sibi nacti sunt occasionem, qua mediante facilius possent recentem statui inurere dolorem. Me quoque ipsum traducere apud Ill.mam Excellentiam Vestram sub imagine litium, controversiarum, et exasperationum motoris.

Alterum est, quod mihi suavissimum affert solatium; sed quid? solatiumne misero, an potius vitam (ut ajunt) civiliter mortuo et inter mille afflictiones sepulto, idque scilicet unicum quod nuper Divino quodam consilio Sacra Congregatio de Propaganda Fide materna non dedignetur jacenti porrigere dextram, resque meas omnes gratiae ac sollicitudini Ill.mae Excellentiae Vestrae commendare non desinat.

Porro, Ill.ma Excellentia Vestra quibus et quantis studiis et benevolentia sine intermissione feratur ad auxiliandum indemnitati meae per spectum est plenissimeque notum. Atque eo magis elucescet aequitas, benevolentia et studium illud, quo plenius, et felicius amovebitur gravaminosum sancitum, vel juxta praetensiones meas typo vulgatas, vel denique juxta desideria mea ad restaurandum monasterium Monialium Vlodimiriensium confirmandum (quod ad praesens plurimis violentiis per Clerum Capituli Vlodimiriensis infestatur, et invasionibus deturbatur) rectam siquidem in Tribunali Sacra Nuntiaturae inchoatam (f. 279) et ipsam solam obtinere sententiam. Quam tandem multis meis precibus nec non lacrymis indefessis, ut adipisci valeam, nuper quoque praesentibus litteris suppliciter fieri non abhorreo, et simul in reliquos vitae meae dies cum profundissimo cultu maximeque debito tanto Protectori et Sospiratori meo perseverabo, cum quo et nunc me totum perseverare ingenue profiteor.

Illustrissimae, Excellentissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae observantissimus et humillimus Servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Peto misericordiam, sedens Kupieczoviae. Cum nullibi sum de proprio providendo sibi victum.

273.

Kupieczovia,..... 1774.

Littera Metropolitanani ad Decanum Berdyczoviensem de statu rerum in Ucraina interrogantis et praesertim de visitatione Episcopi Maximiliani Ryllo in Ucraina.

APF, *Scritt. rif. nei Congressi, Mosc. Pol. Rut.*, v. 11, ff. 665rv.

Traductio epistolae Ill.mi Metropolitanani ad R. Skulski, Decanum Berdyczoviensem scriptae, *absque data*

Sua Dominatio prope Berdyczoviam residet ad locum publicum, et quasi in medio Dioecesis Kijoviensis. Pigram ipsam esse judico in scribendo; an non mutavit consilium ipse, adhaerendo loco Miniyki dicto, No-

bis autem factus es jurifragus in obedientia? Sed hae deceptiones provenientes ex Minijki cessabunt, dum ego habeo continua certa documenta, quod auctor, Minijki, habens conductam cum Rectoribus Disunitis, magnas Clero nostro amanti Unionem Sanctam facit violentias, captivare jubet, et in carceres destrudere in varijs locis, licet in Bialacyrkiew multos eliberavi et commeda Bialocerkeviensis scribit cum querella, quidnam factura sit, dum ad eam continuo advehunt, et ei tradunt; ipsa autem subordinata est superiori commendae.

Habeo notitiam, quod Berdyczoviae aliquot Presbyteri sunt incarcerati; habeo etiam in parte notitiam, ut fert fama, licet ego non credo, quod Ill.mus Ryllo sit sub arresto Berdyczoviae²⁸⁷ cum addita eidem assistentia. Rogant ipsum, ut se transferat ex Dioecesi Kijovien. in propriam, dum visitando Ecclesias tempore praesenti, quo ornamenta ecclesiastica sunt asservata, audet et praesumit calices stamneos et pixides frangere et antiqua apparamenta dilacerare; quae querelae pervenerunt ad Dominum Generalem de Szyrkow, ob quod offensus ipse Generalis, indolendo praesenti tempori, laudandoque quod propria absconderint, sed has fractiones sacrorum vasorum pro magno reputavit detrimento, seu potius pro scandalo; alij etiam porrexerunt supplicationes pro quibusdam extortionibus Rublonum, et ideo nolunt ipsum pati in Palatinatu Kijoviensi desideratque dictus D. Generalis, quatenus cum assistentia se transferat in Volhyniam, ad suam propriam Dioecesim. Si fas credere, expecto notitiam fidelem sub obedientia nobis debita.

Fert quoque id fama, et Presbyteri qui ad me veniunt referunt, quod pro malis operibus et fomentationibus R. di Prymowicz et Lubinscorum, edictum sit mandatum, quatenus ii captiventur etiam per vim, si sub aliqua protectione existerent, et reducantur ad Officium Perejaslaviense, ibique in stricto carcere ponantur. Ad hoc etiam expecto responsum, quia Berdyczoviae plures debent esse novellae, quam Radomysliae, et praesertim dum R. Officialis (f. 665v) est infirmus. Olea Sacra misi, quoniam Dioecesani Chelmen. ad me recursum fecerunt pro consecratione Oleorum Sacrorum. In quo puncto, etiam Ill.mus Ryllo non parvum post se reliquit murmur inter Clerum et Populum ad Magnates. Igitur variorum Civium Terrae Chelmenis, et Palatinatus Belzensis est intentio rogandi Majestatem Regiam pro nominatione alterius Episcopi. *Hic est effectus*

²⁸⁷ Maximilianus Ryllo venit in Ucrainam, visitationis fidelium et cleri causa iam inde sub finem anni 1773, et die 17.IV.1774 Berdyczoviae sub custodia militari positus est; die 2.VII.1774 libertatem iterum obtinuit et in visitatione prosequutus est. Die tandem 15 novembris in propriam eparchiam, Chelmensensem rediit. Cfr. J. Choma, *Maximilianus Rylo, Episcopus Chelmenis et Peremysliensis* (1759-1793), Romae 1953.

avaritae; qui quaerit majus locum, minus perdit. Celsissimus Princeps Succamerarius Lithuaniae, si resideat Berdyczowiae, significet D. Sua, quomodo Clero nostro est addictus, et quid cogitat de Ecclesijs Berdyczowiensibus, dum declaravit se sublaturum Ecclesias. R. Zablocki cum Decano Lubarensi hic apud me volentes discedere Varsaviam cum querimonijs, sed R. Zablocki letaliter infirmus venit, ac in infirmitate, transactis hic aliquot diebus, ad persuasionem Domini Doctoris mei coactus est redire ad propria, quoniam ipse expulsus est sua propria Domo. Sed ego, addito ipsi R. Instigatore, expedivi eundem ad Dubno; et D. Generalis edidit Mandatum cum Salvo Conductu, utinam hoc remedium ipsis prodesset! simile Remedium et pro alijs cuperem. Alij quoque profecti sunt ad instar Peregrinorum Varsaviam, sed ibi pro illis spes modica aliquid obtinendi, dum Creaturae Ill.mi Leopoliensis, et propterea facile obtinebunt repulsam. Multi sunt tales, qui dicunt se esse ordinatos a tribus Episcopis: Leopoliensi, Chelmensi, Perejaslaviensi, et ordinati a Chelmensi et Leopoliensi confugiant Perejaslaviam, et secundaria juramenta ibi faciunt, abrenunciandoque Unioni ad Disunionem accedunt, praevia solutione accipiunt Installationes, et postea se invicem interficiunt pro Beneficijs, sicuti jam aliquot numerantur interfecti et alij vulnerati jacent apud Kyrurgos. Proch dolor! horum malorum finis non est. Quid D. Sua habebit ex ulterioribus notitijs significet, quaeso, mihi per Postam. His expressis sum

Ill.ris Dominationis Vestrae

Intimus Pastor
F. WOŁODKOWICZ

P.S. Cathedratum reddatis ad manus R. ĩurczanowicz in casu infirmitatis Domini Wyhowski; idem alijs quoque Decanis commendet.

Superscriptio:

Ill.ri ac Adm. R.do D. Skulski, Procuratori Generali Kijoviensi, Praeposito Leszczynensi. PAX CHRISTI!

Cito, cito, cito, etiam per Emissarium expressum.

274.

Kupieczovia, 1774-1775.

De iniurijs a Coadiutoribus passis et praesertim de sequestro personae eius.

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 96-98.

Ill.me, Excell.me et Rev.me Domine.

Felicianus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus Kiowien.,

Episcopus Vladimiriens. et Bresten., humiliter Excellentiae Vestrae exponit, quod cum omne studium suum impenderit ad stricte sibi devinciendos suos Coadiutores, bonificando superabunde hos in Concordia, quam in anno 1772, die 28 mensis Novembris fecit, non solum debitae gratitudinis testificationem non retulit ullam, sed ut a tempore assumptionis ipsorum in Coadiutores gravissimas amaritudines passus fuit semper, ita in hunc usque diem cum gravi animi sui dolore perferre cogitur ab iisdem continuas vexationes, persecutiones gravissimas et crudelissimam atque intollerabilem sui oppressionem.

Notum est plene Ill.mae Excellentiae Vestrae series, quam exegit Orator cum iniuria sui maxima per totum tractum a nominata concordia, administratione calculi, minime extitit satisfactus in damnis, quae ipsi Exponenti illata fuerunt, et praeterea ab iisdem Compromissariis gravatus summe fuit in plurimis, quae neque ex praecitata Concordia, neque ex legibus, et ipsa iustitia fieri unquam debebant; facta tamen sunt omnia ex voto Coadiutorum, qui, adhibita militari copia, acsi iam summas ex arbitramentali Compromissariorum sententia acsi a Metropolitanano debitas per summam iniustitiam exegerunt, iam bona in vim pensionis Coadiutori Vladimiriens. pacta, medietate fere assignationem excedentia, violenter occuparunt, et singula loca ad utramque Mensam spectantia cum militibus, tum Regni tum Russicis ac Aulicis, maxima inopia et miseria oppresserunt. Et cum haec omnia per Exponentem relata fuerunt huic Sacrae Congregationi, indeque demandata Causa Ill.mo et Rev.mo illi in Polonia Nuntio, ut omnia ex aequo stabiliret, et non ita ac Compromissarii ex nutu Coadiutorum penderet, ipsi Coadiutores causae suae diffidentes, et iure merito timentes ne illorum intentio minus ac exoptabant in illo Tribunali secundata maneret, alio se verterunt et clanculum a laica Confoederatione Generali emendicarunt Sancitum, quo Metropolitanum Oratorem privarunt spoliaruntque omni iurisdictione omnibusque bonis universarum dioecesium, tam in Regno Poloniae quam in M.D. Lithuaniae existentium, non relinquendo ne libertatem ipsam commorandi in dioecibus et locis benevisis, ut ex dicto Sancito, Sacrae Congregationi Propagandae Fidei iam alias producto, clare patet, et ex alio Commissionis Militaris Decreto, ubi Duci exercituum iniunctum fuit, ut ad bona copias militum expediret, pulsoque inde Metropolitanano, haec singula Coadiutoribus effective traderet. Quod cum exequi nequiverint dd. Coadiutores, praepediti forsitan aliqua commonitione Sac. Congregationis Prop. Fidei, aut Ill.mi Domini Apostolici Nuntii (: nulla enim super hoc publice fuit data inhibitio:), alium aequae avaritiae suae propitium adinvenerunt praetextum, Lustrationis, videlicet, bonorum singulis annis iuxta praescriptum Concordiae faciendae. Instrumento itaque pro hac Lustratione a

Tribunali Sacrae Nuntiaturae exportato, et cum illo palliando avaritiam et ambitionem, haud difficile unusquisque colligere poterit, quanta depopulatio ac devastatio, exterminiumque bonis Ecclesiae illatum fuit, dum ubique cum militibus divagando selecti arbitrio Coadiutorum Lustratores, praedia, aulas, villas et loca omnia interim depraedarunt, et exigendo plus quam debita a Colonis tributa, tali modo Metropolitanum omnibus redditibus et proventibus ad sustentandum vitam necessariis penitus atque penitus denudarunt.

Crediderit iam unusquisque non ultra oppressionem Metropolitanum exponentis progredi potuisse, et nil minus praemeditarunt insuper Coadiutores aliud longe horrendius medium, quo inaudita crudelitate affligerunt suum Coadiutum, eundemque omni iurisdictione et bonorum administratione spoliatum ad eum tandem statum reducerent, ut ultima inopia rerum ad vitam sustinendam necessariarum prorsus ultimos senectutis suae dies cogatur sublevare sola pia amicorum eleemosyna; nam in stricto loco detentus et undique custodia militum interclusus, praeter sequestrationem supellectilis omnis, servitio quoque Familiae domesticae, medico et coquo ipso destitutus manet. Quae omnia exequi non erubuerunt Coadiutores innixi illi Sancito, quod die 17 mensis Novembris anni immediate praeterlapse ab eadem generali Varsaviensi Confoederatione exportarunt, quodque hic Metropolitanus Orator Ill.mae Excellentiae Vestrae submittit, et supplicat unico contextu pro dando efficaci remedio tam sibi Exponenti taliter oppresso, quam libertati ecclesiasticae, quae sic inaudito adhuc in Regno Poloniae exemplo laeditur. Praestabit hoc Ill.ma Excellentia Vestra sua insigni iustitia, sapientia et ea qua pollet autoritate, fraenando Coadiutores, authores harum omnium violentiarum, machinationum et oppressionum, qui deflectendo a disciplina ecclesiastica implorant potentiam saecularem, sicque tam sibi Exponenti, quam, quod gravius, ecclesiasticae libertati gravissima damna ac praeiudicia inferre praesumunt. Ne itaque malum hoc diutius serpat, neve sua contagione amplius propagetur, iterum atque iterum supplicat Ill.mae Excellentiae Vestrae Orator, ut providere dignetur eo meliori modo, quo Exponenti et ecclesiasticae in tanta rerum angustia congruit libertati.

Quam Deus etc.

Ruteni: Ill.mo Excell.mo et Rev.mo Domino Secretario Sac. Congr. de Propaganda Fide.

30 Gennaro 1775: Si è provveduto con le lettere scritte ai Coadiutori in disapprovazione della loro condotta.

Pro Feliciano Philippo Wolodkowicz Archiepiscopo Kijovien. Episcopo Vlodimirien. et Bresten.

(foll. 100-102):

Nos Mareschalci Generalis Confoederationis²⁸⁸ utriusque gentis cum associatis et iuratis Consiliariis vinculo indissolubilis unanimitalis conjuncti.

Quoniam expectata diu sed frustra a Sede Apostolica ac Eius Vicaria Iurisdictione media remediaque fine pacificandae discordiae inter Ill.mum Dominum Wolodkowicz, Metropolitam totius Russiae, Episcopum Vlodimirien., ipsiusque respective Ill.mos Coadiutores, hucusque sunt absque effectu, et nil ultra nisi longiorem pollicentur moram, persuasi igitur sumus optatissimam hanc pacem unice pendere a Sanciti nostri, die secunda maii anno moderno editi executione. Cum autem memorati Sanciti executio multum requirat auctoritatis et dexteritatis, ideo Generalis Confoederatio utriusque gentis autoritate potestatis ac iurisdictionis suae Ill.mum Rudnicki, Luceorien., et Gedeonem Horbacki, Pinscensem, Episcopos, item PP.res Georgium Turkiewicz, Archidiaconum Ostrogien., Antonium Koronczewski, Praepositum et Officiale Bresten., Simonem Grutowski Cancellarium Cathedralis Leopoliensis, Joannem Zuchowski, Decanum Ploskorovien., iam antea Auctoritate Apostolica designatos Commissarios, praesenti Sancito approbat, approbatisque commendat, quatenus alii ipsorum ad bona Metropoliae, alii ad bona Episcopatus Vlodimirien. et Bresten. condescendant eademque bona possessioni ac regimini Ill.morum Coadiutorum supradictorum tradant iustamque proventuum (sine iniuria tamen subditorum) iuxta condita, sive adhuc, praesertim in bonis in M.D. Lithuaniae sitis, condenda Inventaria, tum in iisdem bonis haerentium qualiumcumque onerum, ac etiam habitarum a multis incolis ad bona specialiter Episcopatus Vlodimiriens. sese referentium praetensionum liquidationem faciant; quem praeterea in finem, annuendo desideriiis ac postulationi eorumdem Ill.morum civium in instrumento Commissionis ab Ill.mo Nuntio Apostolico die 13 Augusti edito de nomine specificatorum, haecce Generalis Confoederatio alios ex saeculari statu adiungit assignatque Commissarios, nempe MM. GG. Joannem Chorzewski, Iudicem terrestrem Czernichovien., Josephum Szamoski, Notarium Terrestrem Vlodimirien., Petrum Gostynski, Iudicem Castren. Vlodimirien., Thomamque Chajenski, Camerarium Terrestrem Luceorien., dando ac concedendo ipsis plenariam potestatem, finaliter, etiam in contumaciam partis non comparentis, disiudicandae causae, atque satisfactionem, cui de iure competierit, decernendo, non obstante unius vel duorum absentia. Insuper iisdem praecommittit, ut praehabito respective... tione reparationis ecclesiarum cathedralium, palatiorum ac bonorum desolatorum ruinaeque subiectorum, tum etiam constituta iusta pensione

²⁸⁸ Sic d. *Sancitum* Gubernii civilis ad exequenda decreta ecclesiastica.

in vim mercedis Gubernatoribus et familiae domesticae, in quibuslibet bonis necessaria, quem ad hunc finem quoad bona lustranda ex statu aequalari addit M.D. Nicolaum Gawoszynski, Capitaneum Vyszogroden. Quantitatem restantis de proventibus, liquidationisque expensis summae prioris supradicti Sanciti, propter Ill.mum Wolodkowicz Metropolitanum e bonis Mensae Metropolitanae, quam etiam Episcopatus Vlodimirien. constituent, de modoque certae exsolutionis provideant aut bona certos proventus importantia in possessione eiusdem Ill.mi Metropolitanum sufficientem congruamque authoritati, ac statui ipsius sustentationem subministrantia, relinquunt. Verbo: ut iidem Commissarii ea omnia, adhibita etiam militari copia, exsequantur, quaecumque ad constituendam firmandamque inter partes memoratas pacem et tranquillitatem sunt vel essent necessaria.

Datum Varsaviae, die 17 Novembris 1774 anno.²⁸⁹

275.

Kupieczovia, 1774-1775.

Expositio gravaminum Metropolitanae Sacrae Congr. de Prop. Fide.

APF, *Scritt. rij. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 65-68.

Em.mi et Rev.mi Domini.

Felicianus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus Kiovien., Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, devotus EE. VV. orator, humiliter exponit, quod Transactiones seu Concordia, anno 1772 die 28 mensis Novembris Varsaviae facta, superabunde Coadiutores suos bonificando, non solum debitam gratitudinis testificationem non retulit ullam, sed ex illo tempore, praeter expectationem omnem, acerbissimam sui ab hisce persecutionem fuit passus semper, et in hunc usque diem non experitur aliud, nisi intollerabilem afflictionem, animi moerorem maximam et crudelissimam atque continuam oppressionem.

Praefata concordia praecustodivit quam solemnissime Orator tum redditionem calculi a Coadiutoribus ex eorum administratione exigendam, quam per annos duos et ultra super bonis ad Mensam Metropolitanam et Episcopatus Vladimiriensis spectantibus exercuerunt, tum compensationem damnorum, quae tam ante administrationem, quam etiam post plenam ipsius Metropolitanum restitutionem, in summis, frumentis, nec non suppellectili varia illata sibi fuerunt. Compensationem, inquam, et resti-

²⁸⁹ *Sancitum* hoc editum fuit a ducibus Confoederationis civilis et militaris, s.d. generalis, in qua partem habuerunt magnates poloni, imprimis ut deducerent ad effectum divisionem Poloniae inter Russiam, Prussiam et Austriam.

tutionem horum omnium strictam, quam distinctissime praecavit faciendam et ad hunc effectum selecti fuerunt Arbitri cum auctoritate etiam Rev.mi in Polonia Nuntii, ea cum lege, ut post investigatas, liquidatas et stricte primum compensari factas praetensiones Metropolitanum per suos Coadiutores, tandem procedere deberent ad tradendum in Concordia exhibitam, et expressam iurisdictionem spiritualem. Nihil tamen horum a Compromissariis rite factum fuit, sed transcendendo limites electionis et recedendo a regula, in ipso Instrumento et deputatione Rev.mi Nuntii praescripta, iidem Compromissarii, artibus Coadiutorum in partes horum pertracti, omnia ad nutus et vota ipsorum Coadiutorum fecerunt, et tradita imprimis iurisdictione eisdem Coadiutoribus, mediante consignatione instrumentorum, sprete prorsus in hac parte appellatione per Oratorem ad S. Sedem interposita, ad alia quoque gravamina perrexerunt, bona, medietatem fere excedentia pensionem in Concordia definitam Coadiutori Vladimiriensi, arbitrarie designando, Metropolitanum Oratorem ad exhibitionem listae expensarum et proventuum usque ad dictam Concordiam participatorum et erogatorum obligando, et denique in Marcis in alia summa 100.000 florenorum Polonice dictis Coadiutoribus exsolvenda sub rigore etiam sequestri Bonorum, praeter omnem iustitiam et rationem, commendando.

Ita millenis in uno die gravatus Metropolitanus, pluries recursum fecit ad Sacram hanc Congregationem P.F., tum ad ipsum san.mum. Summum Pontificem Clementem XIV, supplicando ut causa in partibus coram suspectissimis hisce Iudicibus suspensa et circumscripto Arbitrorum Laudo, si tamen tam irregularis et patens iniustitia Laudi nomen promeretur, coram S. Sede diiudicaretur. At hic creditum fuit eandem causam demandare cum plenis facultatibus Ill.mo in illo Regno S. Sedis Nuntio, prout de facto emanatae fuerunt ex illo Tribunali citationes ad effectum reddendi calculi, et liquidationis ac compensationis damnorum variorum ac restrictionis bonorum per Compromissarios minus aequae Coadiutori Vladimiriensi adiudicatorum, et ne Orator Metropolitanus vel in minimo puncto effectuationi Concordiae ex parte sua deesse, aut a desiderata pace abhorreere videretur, ad insinuationem toties dicti Ill.mi Domini Nuntii per respectiva Instrumenta Coadiutoribus suis iurisdictionem spiritualem cessit, declarando ipsos in illo tempore in Vicarios suos generales, ut per Dioeceses omnia stautere et ordinare valerent, quae de iure communi et consuetudine Vicariis Generalibus competunt, ratus ita et citius iustam satisfactionis sententiam nancisci, et bona mensae Metropolitanae ac Episcopatus Vladimiriensis, et possessiones a militum preda ac devastatione liberare, quae ex arbitramento Compromissariorum decreto misere ubique lacerabantur.

Verum Coadiutores causae suae diffidentes, et iure merito timentes ne illorum intentio minus ac exoptabant in illo Tribunali secundata maneret, alio se verterunt, et clanculum a laica Confederatione Generali emendicarunt Sancitum, quo Metropolitanum Oratorem privarunt spoliaruntque omni iurisdictione omnibusque bonis universarum dioecesium tam in Regno Poloniae, quam in Magno Ducatu Lithuaniae existentium, non relinquendo ne libertatem ipsam commorandi in dioecesibus, et locis sibi benevisis, ut ex Sancito S. Congregationi Propagandae Fidei iam alias producto clare patet, et ex alio Commissionis militaris Decreto, ubi Duci Exercituum iniunctum fuit, ut ad bona copias militares expediret, pulsoque inde Metropolitanano haec singula Coadiutoribus effective traderet.

Quod cum exequi nequiverunt dd. Coadiutores, praepediti forsitan aliqua commonitione Sac. Congregationis Propagandae Fidei, aut Ill.mi Domini Apostolici Nuntii (nulla enim super hoc publice fuit data inhibitiō), alium aequae avaritiae suae propitium adinvenerunt praetextum, lustrationis videlicet bonorum singulis annis iuxta praescriptum Concordiae faciendae. Instrumento itaque pro hac lustratione a Tribunali S. Nuntiaturae exportato, et cum illo palliando eorum avaritiam et ambitionem, haud difficile unusquisque colligere poterit, quanta depopulatio ac devastatio exterminiumque bonis Ecclesiae illatum fuit, dum ubique cum militibus tum Regni, tum Russicis et Aulicis copiosissimis divagando selecti arbitrio coadiutorum Lustratores, singula praedia, aulas, villas et loca omnia ultima inopia et iniuria opprimerunt, et exigendo plus quam debita a colonis tributa, tali modo Metropolitanum omnibus redditibus et proventibus ad sustentandam vitam necessariis penitus atque penitus denudarunt, et non adhuc contenti, ultimum et horrendissimum praemeditarunt medium sequestrandi suum Coadiutum et in arcto loco sub custodia militum eundem detinendi, subtrahendoque omnem vitae ducendae modum, et omni servitio Familiae domesticae privando, medicum et coquum ipsum repellendo, ad eum tandem statum miserum Metropolitanum reducere non erubuerunt, ut ita undique interclusus sola pia amicorum eleemosyna vivere cogitur, dum interea ipsi Coadiutores vi Sanciti ultimi, die 17 mensis Novembris anni immediate praeterlapsi ab eadem Confederatione Varsaviensi expediti, omnia ubicumque existentia bona tam ad Ecclesiam Metropolitanam Kioviensem, quam ad aliam Episcopatus Vladimirien. et Bresten. spectantia cum vi et potentia militum occuparunt, et haec per iniustissimam invasionem detinent.

Submittit hic Metropolitanus copiam praedicti ultimi Sanciti, cum quo inaudito adhuc in Poloniae Regno modo laica auctoritas praesumit ecclesiasticam perimere libertatem ad effectum, ut Em.mi et Rev.mi Patres ea qua valent et pollent auctoritate, sapientia tam grandi ecclesia-

sticae iacturae reparare dignentur, frenando Coadiutores praedictos, qui harum omnium oppressionum, machinarum et violentiarum sunt auctores, quique deflectendo ab ecclesiastica disciplina et auctoritate, laicam solum potentiam implorant, ad effectum unice Oratorem opprimendi, et denudandi non solum iurisdictione et bonis, sed etiam victu necessario ad vitae sustentationem, et supplicat etiam unico contextu Em.mis et Rev.mis PP. DD., ut suam dignentur interponere potentiam et auctoritatem ad effectum, ut Orator suam pristinam recuperet libertatem, familia et bona eidem restituantur, abrogentur iudices Compromissarii, qui plenissimam ac perpetuam sibi arrogarunt auctoritatem quique uniti cum dictis Coadiutoribus ad totalem Oratoris oppressionem conspirant, et denique providere dignentur eo meliori modo, quo Oratori et ecclesiasticae in tanta rerum angustia congruit libertati.

Em.mis et Rev.mis DD. Cardinalibus in Ordine Capitibus.

Ad Em.mum et Rev.mum Dominum Cardinalem Castelli, Praefectum Sac. Congregationis de Propaganda Fide.

Pro FELICIANO WOŁODKOWICZ, Archiepiscopo Metropolitano Kiovien. Episcopo Vladimirien. et Bresten.

276.

15 Gennaro 1775.

Kupieczovia,.... II. 1775.

Ut videtur, Decano Collegii Cardinalium, Sede Vacante, de iniuriis sibi illatis et ne Ecclesia praeiudicium patiatur.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia; Polonia et Ruteni*, vol. 12, fol. 42rv.

Eminent.me et Rev.me Domine.²⁹⁰

Felicianus Wolodkowicz, Metropolitanus Russiae, humiliter Eminentiae Vestrae exponit, quod cum de statu suo afflictissimo tam epistolae quae Eminentiae Vestrae direxerat, quam memoriale Sacro Collegio tempore abhinc Conclavis porrectum, plenam notitiam praebeat, hic, ne eadem semper repetendo tedium ingerat, modo breviter dumtaxat completitur, quod a die octava mensis novembris elapsi anni, qua bonis ac supellectili omni spoliatus, nec non familia domestica privatus ac ipse tandem strictae detentioni mancipatus extitit, quod ab illa die in hoc usque tempus, nullum in tanta oppressionem levamen habuit, quin potius sui Coadiutores maiora semper et acerbiora ad torquendum ipsum oratorem adin-

²⁹⁰ Tempore, ut videtur, sedis Vacantis post obitum Clementis XIV, die 22.IX.1774; novus Pontifex, Pius PP. VI, electus fuit die 15.II.1775.

veniunt, et in proposito ecclesiasticae libertati iniuriosissimo persistere non verentur, exequendo Sancita illa Confoederationis Generalis, quae per summum nefas in praeiudicium Oratoris procurare non erubuerunt.

Quapropter exhibet hic in copia litteras innotescentiales a Commissariis ultimo Sancito designatis sibi Oratori intimatas; et cum istud tum ecclesiasticis sanctionibus adversentur, dum ibi laici quoque Iudices Exponentis esse contendunt, tum ipsam Concordiam aperte perimunt, inde quam humillime supplicat Eminentiae Vestrae orator, ne in tantam audaciam infferant adversarii, neve tam apertis iniuriis, cum summo omnium scandalo, ipsum oratorem afficere amplius audeant, sed decretis et monitis huius S. Congregationis pareant, satisfaciendo simul pro omnibus damnis, quae in tanto tempore continuo tractu inferire non dubitarunt.

Quam Deus etc.

277.

Kupieczovia,..... III 1775.

Praefecto S.C. de Prop. Fide de difficultatibus in erectione monasterii Volodimiriensis, quod confirmari petit auctoritate Sedis Apostolicae.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Mosc. Polonia e Ruteni*, vol. 11, f. 854-855.

Eminentissime ac Excellentissime Domine,
Domine, Protector Clementissime.

Animus ille Eminentiae Vestrae Ill.mae Rev.mae ad ferenda solatia et subsidia miseris promptissimus adeo ipsum innumeris ac pene in dies accumulandis obrutum molestiis (: cui anceps inter spem et metum restat doloribus mixta portio vitae:), me inquam meosque omnes tanquam fatale naufragium passos recreat ac reficit, ut ni literae Eminentiae Vestrae Ill.mae Rnd.simae mihi multo jucundissimae iam iam labentem fiduciam meam ad meliorem frugem reducere accelerarent, o! quoties contingeret cum gemitibus tristissimis utpote plenam amaritudinis effundere vitam.

Rem plane totam novit Eminentia Vestra Ill.ma Rnd.ma, in qua agitur de iuribus Metropolitanis, aguntur bona Ecclesiarum omnium, aguntur (f. 854v) salus et vita multorum ex devotissimo Clero et aulicis meis, agitur denique devastatio tristissima plurimis sumptibus meis per me restaurati monasterij Sanctimonialium Vlodimiriensium supra quod specialiter ne quidem Beneplacitum Apostolicum, renitentibus invidiis Adversariorum, impetrare licuit.

Haec et alia sexcenta infinitis me telis obruunt et viribus destitutum jam pene deglutiendum rabidis anulorum dentibus obtrudunt, pullulant indies nova semina litium, exurgit vix unquam sopienda farra... dissidio-

rum; tot denique ac tanta malorum generor... quorum maculam nobis inustam nulla fere... terret oblivio, nulla conditescet vetustas; quis prudens rerum aestimator aequo animo haec toleranda judicaret.

Illuxit tandem auxilii nostri spes unica ac solatium, (f. 855) nimirum felix ac optatissima electio nuperrima Sanctissimi Domini. O! utinam diutissime Nobis regnatur, sub cujus protectione meliori auspicio omnia resarcienda sperarem, si tantummodo Eminentia Vestra Ill.ma Rnd.ma appromissam mihi porrigere dextram non dedignaretur, quam si lucratus fuero gratiam, Deus ipse Ter Optimus Maximus, ut semper exoptabo, felicem benignissimum Auxiliatorem meum quam diutissime incolumem summis honoribus auctum servet. In reliquum penes profundissimum cultum maneo.

Eminentissimae ac Rev.mae Excellentiae Vestrae observantissimus et humillimus Servus et Exorator

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metrop. totius Russiae (mp).

P.S.: Placet Eminentiae Vestrae, Protectori meo Clementissimo, libellum hunc supplicem controversistice compilatum, ut erat productus et recognitus collatusque cum autenticis et originalibus Castrensibus Vlodimiriensibus Actibus Publicis, in Consistorio Nostro Metropolitano per omnia conveniens, inspicere. Quem nuper meo studio, licet multum impari, restauratum Monasterium Monialium Basilianissarum, cum humillimo earum exoratore Timotheo Szczurowski, Hieromonacho Rutheno, suo Poenitentiario Ordinario ab ipso Proto Archymandrita, Abbate Generali Congr. Ruthen. Basil. praesentato viro, alioquin vitae et scientiae probatissimae, zelo animarum et missionum exercitio conspicuo, ad pedes Eminentissimi Domini deponit. Placet, inquam, Eminentissime Domine, mentem meam comprobare in hoc supplici libello expressam, ut videam donec moriar vel hoc unicum solatium meum.

fol. 454 Emin.mus Cardinalis Castelli S.C. de P.F. Praefectus

278.

(*Kupieczovia*,..... III. 1775.)

Secretario de Prop. Fide exponit causam suam cum Coadiutoribus nondum resolutam.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 40-41v.

Ill.me, Excell.me et Rev.me Domine.

Felicianus Wolodkowicz, Metropolitanus Russiae, penes humil.ma obsequia exponit Ill.mae Excellentiae Vestrae, quod cum iam status eiusdem sit plene notus S. huic Congregationi, ex quo et Ill.mus ille Aposto-

licus Nuntius assidue exactam huius dat notitiam supremo isti Tribunali, et ipse quoque idem Metropolitanus non infrequentibus hic missis epistolis deplorabilem suam conditionem prolixè descripsit, hinc omittendo illa, per quorum inutilem reportationem fastidio Ill.mae Excellentiae Vestrae esse posset, modo addit duntaxat, quae novissime secum peracta sunt, ut in ultimis angustiis sibi existenti oportunum remedium et auxilium imploret.

Non enim ignotum extat Ill.mae Excellentiae Vestrae, a quo tempore dictus Metropolitanus spoliatus bonis et redditibus absque ullo sustentationis modo permanet, aliam vivendi rationem non habens, praeter beneficam amicorum elargitionem et provisionem in cibariis et victualibus; non minus latet quod et exeundi libertatem non habet in ullum dioecesium suarum locum, sed sequestratus in uno praedio, ad episcopatum spectanti, absque ullo nomine etiam in istum locum per vim detinetur; non quidem ut Palatium Varsaviae existens in possessionem RR. Coadiutorum pari ac alia omnia titulo devenit. Sed quod ultimum pars adversa praemeditari potuit, est, quod bona ipsa quoque in M.D. Lithuaniae existentia ubi et iurisdictionem sibi reservavit spiritualem, ista etiam bona, solam et ultimam vitae suae administrationem, eidem exponenti erepta sunt. Nimis superfluum esset, ut Metropolitanus tam apertam et pateticam oppressionem evincere intenderet et ubi nemo non percipit vel levissima cogitatione attingens, quod in toto tot annorum tractu nemo majores molestias, acerbiores iniurias et persecutiones crudeliores Metropolitanò perpressus est. Verum temporum infelicissimorum ita tulit ratio, quod in tanto rerum statu collocato, eidem Exponenti experiri aliud, praeterquam majores in dies et majores afflictiones, non licet. Pendet in hunc usque diem in illo Sacrae Nuntiaturae Apostolicae Tribunali indiscussa Causa redditionis calculi de Administratione Rev.morum Coadiutorum, quamvis ex parte Metropolitanì in pridem ac semper de hoc fusa ac solida Informatio producta fuit; hoc fuit solum medium quo tot tantaque damna per universa bona perpetrata resarciri possent, ut videlicet restituantur Metropolitanò ea omnia, quae per indebitam occupationem et vim usurpata fuerunt; creverunt oppressio et iniuriae et ad eum iam devenerunt terminum, quod Exponens, Primas inter Praesules Russiae obtinens, ne unum locum habet, ubi caput reclinet, factus tamquam miser mendicus, utpote non aliunde nisi e sola amicorum eleemosyna vivens. Igitur supplicat hic humiliter Ill.mae Excellentiae Vestrae, ut donec causa haec finali sententia a S. Sede decisa manebit, in sustentatione debita sibi provideatur atque Praedia specialiter: Kupieczow, Zarzycze in suburbio Vladimiriensi, Grodek, Sieniow et Radomysl, cum pleno et libero horum regimine ipsi Metropolitanì subsint.

Idem Exponens renovat hic suas preces pro confirmatione erectionis monasterii Sanctimonialium Ordinis S. Basilii Magni penes ecclesiam parochialem S. ti Eliae Vladimiriæ, per se factæ, ubi cum domus commoda cum clausura regulari iam exstructa est, restat ut beneplacito apostolico idem consolidetur, non attento quod Rev. mus Coadiutor cum Clero Capitulari in contrarium opponere intendunt.

Supplicat etiam Metropolita pro concessione facultatum, quæ sibi dari solebant et potestatis dispensandi cum bigamis per numero pro tota vastitate Dioecesum proportionato.

Uno eodemque contextu non omittit idem exponere, quod cum quotidianis exemplis manet edoctus, quam inhumaniter sunt tractati a Rev. mis Coadiutoribus, qui Metropolitanis servitio sunt addicti, utpote quam frequentissime accidit pati carceres, verbera et alias iniurias, hinc consulendo horum in futurum securitati, supplicat quam impensissime, ut horum S. Sedes, quæ neminem opprimi sinit, benignam curam ac tutelam gerat, atque eos praesertim, nempe Joannem Jachimowicz, Agentem Varsaviensem, Kizikowski, Parochum Horodeczensem et Andream Glinski, Fiscalem Kioviensem in suam protectionem suscipiat.

Quam etc.

Ill. mo, Excell. mo et Rev. mo Domino Stephano Borgia, Secretario S. Congregationis Prop. Fidei. 1775.

Si faccia viglietto per il Card. G. Franzoni.

Per parte Metropolitanis Russiae.

279.

(*Kupieczovia*,.... IV. 1775.)

Gratias agit de protectione Secretarii de Prop. Fide et petit ulteriorem protectionem in causa cum Coadiutoribus.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 22rv.

Ill. me, Excel. me ac Rev. me, Domine, Domine et Patrone
Colendissime.²⁹¹

Perjucundum illud Vestrae erga me benevolentiae haud semel iam experior documentum, quod eo majoribus studiis semper mihi prosequendum existimo, quo magis certior fieri de assecutione felicitis eventus rerum mearum penes gratissima subsidia Excellentiae Vestrae exopto.

Detulit enimvero ante aliquot mihi elapsos dies R. D. Pocalojewski, qui pro diligentia sui ab attentione Causarum mearum in Urbe moratur,

²⁹¹ Ut videtur Secretario S. C. de Prop. Fide, Stephano Borgiae (1770-1789).

quanta propensione, qua clementia, quibus et quam saluberrimis mediis Excellentia Vestra optima quaeque de sublevando statu meo consilio molitur, instet patrociniis, adjuvet suffragiis atque exinde quantum ego solatii concipio, nullum dumtaxat genus eloquii, nulla dicendi copia sufficienter enarrare valebit; medius fidius atteritus intra tot ac tanta pene divina solatia haereo nec non diu multumque mecum considero, poteruntne reliqui omnes vitae meae dies tam augustissimis vestris respondere beneficiis; aestuat equidem pervehementer animus, gestiunt omnia vota immorituras Excellentiae Vestrae rependere gratias, at paucitas dierum et labentis vitae penultimum filum vix quidquam aliud vel minimum de viribus meis sperandum enuntiant, nisi fixis in altum luminibus ab ipso Patre luminum et largitore bonorum omnia Vobis Excellentissimi Domini prospera, omnia fausta per longe beatiorum plenitudinem dierum (: assiduis meis Monialumque Vladimiriensium perpetuis precibus consigno:) exoptulare.

Perge igitur, Excellentissime Domine, fiduciae meae author, in hac tua divinissima, quam caepisti feliciter atque tot argumentis confirmare non desinis, erga me benevolentia, donec vel mihi fructu suavissimo laborum vestrorum tandem aliquando gaudere licuerit, vel futurae optatissimo beneplacito Apostolico Moniales Vladimirienses Ambrosianum concinent Hymnum. Ad reliquum intera spem... tumque cum profundissimo maneo cultu

Illustrissimae Excellentissimae Dominationis Vestrae addictissimus obsequentissimus et humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

In hucusque sedens sub aresto militum sine omni subsistentia ex bonis a Coadiutoribus, sed ex proprio asse procuro sibi victum, sine omni obedientia subditorum.

280.

Kupieczovia, 20. VII. 1775.

Dat informationes de insufficientia cuiusdam Domini instantis pro obtinendo beneficio ecclesiastico.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 284.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
Patrone Colendissime.

Summa cum promptitudine animi satisfacerem gratae mihi semper Illustrissimi Excellentissimi ac Reverendissimi Domini pro generoso Do-

mino Suszczynski Instantioni, si obice non essent sacri Canones, qui prohibent, ne illa doctrina et aetate, quae Statum ecclesiasticum concernunt carentem, ullus Episcopus ad Ordines promovendum sinat. Quae requisita non inveniuntur in praefato Generoso Suszczynski; nam an literis humanioribus dabat operam, nec metrices originales (quare subiaceret dubitationi de aetate ad Ordines necessaria) habet, nec illa pollet scientia, quae facerat bonum Ministrum Christi, et dispensatorem Mysteriorum Dei. Tamen ut et Suae Excellentiae quantum in me est satisfacerem intercessioni, et Illustrissimi Comitis Oginski (cujus gratiam exposco, ut non modo constantissime tueatur Bona mea ab executione Sanciti Confederationis in Lithvania, verum etiam id efficiat, ut a suppressione inhibatum, quam hic patior, in bonis propriis et non quasi propriis, sed in vero hospicio residens, omni necessaria sustentatione et victu statui meo competente destitutus, sim subsidio suo liberatus) adimplerem vota, jussi memoratum Suszczynski, ut in morali Theologia saltem capacior se reddat, per suam applicationem, lectionem, aliorumque instructionem ad aliquod tempus hic commorando, tandem post debitum examen in sacris constituam (f. 284v) Ordinibus, et translato de Beneficio Dukorensi moderno ad aliam Plebaniam Parocho, eum in Dukorensi stabiliam beneficio.

Polliceor mihi inde gratiam Suae Excellentiae, et Illustrissimi Comitis Oginski favorem; ideoque sum cum debita distinctione

Illustrissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Patroni Colendissimi addictissimis et humillimus Servus

totius Russiae.

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
Kupieczoviae die 20 Iulii 1775.

281.

Kupieczovia, 16. VIII. 1775.

Instat de removendis obstaculis in erectione monasterii Volodimiriensis Basilianarum.

APF, *Scrith. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 305rv.

Eminentissime ac Reverendissime Domine, Protector Clem.me.

Hoc meum toto curriculo vitae semper erat studium, ut quantum vires ferre valebant, cultum Dei propagarem, debitamque erga Sanctam Sedem Apostolicam et Sacram Eminentiarum Vestrarum Congregationem pietatem exhibeam. Hic dum ex litteris Eminentiae Vestrae sub die 13 Maii anni currentis ad me benigniter datis cognoscam placuisse Eminentissi-

mis Dominis meis indignam restaurandi Monasterii Monialium in suburbio Vlodimieisiensi positaram curam, statim iteratis literis audeo exposcere ab Eminentia Sua, quatenus mediante validissimo praesidio mei protectoris humillimae preces dicti monasterii Monialium nobiliumque civium Districtus Volodomiriensis prius ad Suam Eminentiam transmissae benigne exaudiri possent, nimirum, ut tollantur decisione Sacrae Congregationis per gratiam Eminentissimi Domini ea obstacula, quae iam iam finiendae fabricae dicti monasterii a Coadiutoribus meis malevole sunt posita, ne abeant in vacuum tot impensae, quae edidi in praedictum monasterium restaurandum. O miserum moderni Metropolitanum statum, in quo nec sibi, nec Ecclesiae utilitati, ob invidiam Coadiutorum, aliquid facere potest!

Unicam spem habeo in Eminentissimi Domini protectione, quod Eminentia Vestra, uti est zelosissimus cultus Dei propagator faciet misericordiam cum istis miserculis Monialibus, satisfaciet ardentissimis predictorum civium desideriis, meamque curam atque studium non perditum iri, utpote qui in profundissimo cultu Sacrae Purpurae manere semper cupio

Eminentissimi Domini Protectoris Clementissimi humillimus et obsequentissimus servus ac exorator

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Die 16 Augusti 1775. Kupieczoviae.

Eminentissimus Dominus Castelli.

282.

Kupieczovia, 16. VIII. 1775.

Secretario de Prop. Fide ut resolvatur causa cum Coadiutoribus.

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 304rv.

Illustrissime, Excellentissime, et Rev.me Domine,
Patrone Colendissime.

Quam primum per praeteritum Tabellarium recepi laetissimum nuntium de adepta pristina illa quae mihi vel maxime pergrata valetudine, felicissimoque reditu in istam Urbem Ill.mae Excellentiae Vestrae mox, statui testificare meam laetitiam, gratularique ex corde per praesentes literas recuperatam valetudinem Suae Excellentiae, quam in longum tempus favorabilem permanentem a Deo Optimo Maximo exposco.

Nosco firmissimum Ill.mi Domini Patrocinium, quo huc usque gloriatum sum, scio, quod me, sicut semper, ita his calamitatibus ab inimicis meis domesticis ingratis, pro acceptis a me beneficiis, Coadiutoribus

meis oppressum, Tuo subsidio intercessionequae protegere non dedignaberis. Ego adhuc sedeo in bonis meis et tamquam non in meis, quoniam sub aresto militum a Coadiutoribus conductorum. Quis vidit Spiritualem personam, Archiepiscopali Metropolitana pollentem dignitate, in ulla re Dominis Coadiutoribus (: imo, pro gratitudine:) nocentem, sub oppressione et manutentione militum manere? Vivo, nihil habens de necessario, statui meo correspondenti victu, sustentationequae, quae a Coadiutoribus, vi solum praevalenti, mihi est adempta, ita ut frustulum panis nulliusque generis frumenti, habere possum; verbo: miser, pauper, exul, et egenus, mutuata pecunia meis cum servis sustentari debeo.

Quare fiduciam omnem in gratia Suae Excellentiae colloco, sperans quod me iam sibi pridem devinctissimum paratus sis definire, et ex tam misero statu ad pristinam vivendi rationem suo adiutorio perducere curam sis daturus. Quam gratiam debitis meis obsequiis, in quantum possum, regradificandam curabo, uti

Ill.mae Excell.mae et Rev.mae Dominationis Vestrae, mei Benefactoris singularissimi addictissimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Ill.mus Excellentissimus Dominus Borgia.

283.

(*Kupieczovia*,.... VII. 1775)

De removendis obstaculis in erectione monasterii Basilianarum Vladimiriæ.

APF, *Scr. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 21rv.

Em.mi e Rev.mi Domini.

Felicianus Wolodkowicz, Metropolitanus Russiae, Episcopus Vlodimirien, una cum Sanctimonialibus Ordinis D. Basilii M. Vlodimirien. monasterii humiliter EE. Vestris exponit, quod ipse pro gloria Divina, tum ut propriae satisfaceret devotioni, quam etiam publico providendo commodo et utilitati, in animum suum induxit monasterium Virginum Ordinis praedicti penes ecclesiam Parrochiale[m] tituli S. Eliae Prophetæ in eadem civitate Vladimiriensi exstruere, prout de facto exstructa decenti cum regulare clausura domo (: quam duodecim moniales actualiter inhabitant:), ecclesiam quoque a quatur et amplius annis cum magnis impensis inceptam, ad finem ad hoc tempus certo iam perduceret, nisi a Rev.mo suo Vladimiriensi Coadiutore²⁹² continuae molestiae illatae hoc opus retar-

²⁹² Antonino Młodowskyj, Episcopo Berestensi, Coadiutore et dein Episcopo Vlodimiriensis (1778).

dassent; qui idem Rev.mus Coadiutor una cum Decano Capituli, pro Parocho dictae se gerente, nihil quidquam relinquit, quominus hoc incoeptum per finem ab Oratore perducere posset; iam enim superimmittunt homines aulicos et alios, qui muratores et caeteros laborantes depellunt, iam materialia cum vecturis, bobus et equis intercipiunt, tum alia plurima fastidia et perturbationes afferunt, ac, quod maius, ipsas moniales quiete in sua residentia manere non sinunt, dum his eiectionem ex praedicto continuo minantur, quod et exequi non difficile habebunt, nisi provido remedio a S. Sede Sacraque hac Congregatione consultum fuerit. Quapropter recurrendo ad EE. VV. Orator cum praedicto Religiosarum Collegio humiliter supplicat, ut ipsius votis E.mi Patres benigne annuant, et citationem contra adversarios extradere permittant, pro adducendis iuribus et rationibus, ex quibus talia praesumere intendunt, ubi Orator sua monumenta non omittet, quae pro praedicti monasterii subsistentia plurimum militant; et interea inhibeat partem adversae ante decisionem et definitionem Causae, ne longius molestias et praepeditions continuatio fabricae attentare audeant.

Quam Deus etc.

284.

(Kupieczovia,.... VIII. 1775.)

Instantia Metropolitae ne impediatur a suo Coadiutore Volodimiriensi in construendo conventu Monialium.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Rutheni*, vol. 12, fol. 20.

Rutheni - Wladimiria.

Mons. Feliciano Wolodkowicz, Metropolitano di Russia e Vescovo di Wladimiria espone all'EE. VV. che egli pro sua devozione e anche per beneficio e comodo della diocesi di Wladimiria si è proposto di fondare un convento di Monache dell'Ordine di S. Basilio Magno; che a tale effetto ha fatta costruire una casa nella città di Wladimiria, presso la chiesa parrocchiale di S. Elia, dove al presente vivono in clausura 12 monache. Che sono già scorsi 4 anni dacche con molta sua spesa fa costruire per le medesime una buona e assai decente chiesa, quale avrebbe già terminata, se non venisse impedita dal suo Coadiutore, Mons. Mlodovski, il quale unitamente con il parroco della mentovata chiesa di S. Elia fa quanto può per impedirgli tal opera, ora con scacciare i muratori e fabbricieri per mezzo di persone laiche, ora con impedire il trasporto de materiali e inquietare e intimorire le monache istesse con ogni sorte di minaccie. Per lo che il Prelato Oratore supplica l'EE. VV. di voler fortemente inibire al suo Coadiutore tali attentati e obbligarlo a dedurre avanti di questa S. Congrega-

zione i motivi di un così fatto procedere, mentre l'Oratore non mancherà di fare anche egli costare le sua ragioni e la dura oppressione che soffre in questo particolare.

285.

(*Kupieczovia, 23. VIII. 1775*)

Iterum iterumque exponit miserum suum statum et de suis meritis in procurando patrimonio Metropolitae refert.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 291.

COPIAE LITERARUM Illustrissimi Excellentissimi Metropolitanus ad suos Procuratores Varsavia, die 23 Augusti 1775 anno scriptarum, ex polonico idiomate in latinum versarum.

Monsieur.

Opus vestrum modernum alliciens me ad novam compositionem, in admirationem me rapit, quod Vos praetermissis primariis praetensionibus, modernas exprimitis; animadvertendum enim est, unde origo mali profuit; nolo pati ignominiam, qua me ausi sunt denigrare apud Sedem Apostolicam, primo profugum, depopulatorem Bonorum ecclesiasticorum, incapacem Regiminis, tandem variis molestissimis circumscriptionibus innodarunt, quae uti vulnerant cor meum, ita in iis movi nolo. Nullam igitur amicabilem inire volo compositionem, nisi prius cum iis via juridica me insontem a praedictis ostendamus, ut videre possit Orbis, me aut vere passum, aut innocenter.

Notum est totae Patriae, quo Methodo in Religione procedebam, quo ad pastorem dignitatem Chelmensem evector sum, in hac quali studio Clerum ex primaeva ruditate et oppressione Patronorum tum benignitate, tum precibus, tum via juridica ad meliorem statum perduxerim, de quibus gloriari mihi non licet, sed testantur Acta Publica cum Illustrissimis Potocki, et Poniatowski, Clarissimo Parente Clementissimi Regis ac aliis, quibuscum pro immunitate ecclesiastica certatus eram.

Vidit Deus ab alto gressus tales meos, et a longe audivit dignissimae memoriae Praedecessor meus Illustrissimus Hrebnicki, et ex tot primis Episcopis me filium obedientissimum vocavit ad Coadjutoriam Metropolitae, non renuit ejus voluntati Serenissimus Augustus III, cujus Privilegio confirmatus extiti; non ea via assecutus sum hanc Dignitatem: non adinveniebam illicitos modos, non quaerebam coloratos pretextus, non quaesivi media efficacia ad captandos in hunc finem magnates, verbo: non ego Dignitatem, sed me sequebatur Dignitas.

Haec vos explicare faciatis Excellentissimo Nuntio; quale erat meum studium, adepta jam Coadjutoria, certe vi eripere Bona suo Coadjuto?

Proventus in suum commodum vertere? et molestissimis perturbationibus eum affligarem nequaquam; Rogatus, ut in administrationem omnia in Kijoviensi reciperem, factis praeviae inventariis, a Commissariis Illustrissimi Hrebnicki fideliter confectis, cum obligatione quotannis summae liquidae enumerandae ad aerarium sui Coadjuti, cujus dispositioni omnino satisfeci.

Meum erat quaerere bonum ecclesiasticum et Proventus adaugere, non latet et Vestram Reverentiam in quo statu bona extiterant cum in Possessione adhuc Illustrissimi Kiszka, a quo arendatario contractu Magnificus Stecki pro summa trium millium omnia bona Ukrainensia possidebat, in altero trigenio ad quatuor millia devenerunt, deinde, in possessione Reverendi Boniecki, tandem consecutive sub regimine Perillustris Holumnia ad quindecim millia evecta. Post obitum igitur Perillustris Holumnia, tradita erant Magnifico Domino Wiszpolski per Excellentissimum p.m. Szeptycki qua consanguineo suo in duodecim millibus, postmodum, post fata Ill.mi Szeptycki, cum ad manus antecessoris mei pervenerint, et consequenter in administrationem meam tradita, nulla praecedente participatione in instanti parata pecunia propria Magnifico Wiszpolski, pro incorrespondentia contractui, Proventus sex millia exsolvi debueram.

(f. 291v) Cum vero venerim in possessionem horum bonorum, inveni ea, tanquam desertam Arabiam, nulla regula oeconomica administrata; nam praeterquam in Urbiculo Radomysl unum habitaculum ligneum et stabiculum pro aliquis equis, nihil plus reperi; Statim ut suo Coadjuto certam summam exsolvere possem et meae obligationi satisfacerem, proprio sumptu in Villa Didowszczyzna Praedium extrui, Dospositorem constitui; in Villa Unin itidem feci, in Villa Mirock similiter, in villa Zoryn, in Villa Bialosorka, in Villa Gdensk, in Villa Zabilocze, in Villa Dziurdziewiczze, et in aliis villulis et locis domicilia exstruere jussi, pro comparandis vero subditis ad aliquot annos donavi debitum subditale, verbo quasi apes in sylvis et borejs colligere satagebam.

Non fuit locus in tota mea Archi-Dioecesi in quo, etiam cum detrimento salutis meae, non steterit pes meus, in iis omnibus perpendebam ubi quid commodi applicare possem.

Vident omnes et vosmet ipsi scitis bene, quod in utro loco Officinae ad faciendum ferrum, in altero molendina, in alio officinae ad faciendum aerem, vulgo Hamarnia, in alio officina ad faciendum vitrum, in alio Stagna Piscinae, in alio officina potasio, vulgo Maydan, ad hos omnes quid constabant agera de cruda radice erecta. Ecce unde provenit Proventus ad centum millia et ultra; sed non satis in iis, interroget si quis vult ubi certa grani... erat? in unoquoque loco differentiae, diminuata ubique di-

latatio fundi, dirreptae in multis locis sylvae et prata, quanto sumptu recuperata et quot villae redactae? magno pro certo strepitu juris et summo impendio.

Feci haec omnia vi obligationis suae et juramenti emissi. Ex his bonis Proventum colligebam, et in eadem conservanda expendebam, non quaerebam commodum meum, sed bonum commune.

Sperabam, quod successores mei pro iis omnibus et posteritas pergratum reddent animum. Dilatavi bona temporalia, plantavi Sanctam Unionem, reformabam clerum omnesque conatus ad id adhibui, ut imprimis Deo Ter Optimo Maximo, deinde Sedi Apostolicae, et Serenissimis Regibus omnibusque hominibus secundum posse placerem, putando, quod decrepita senectus dulces ad finem vitae operum suorum gustabit fructus.

Sed considerate bene vosmet ipsi ad quem finem redigi, remonstrate Excellentissimo Nuntio et Proceribus, qualem gratitudinem exhibent mei Coadjutores: Me vivum civiliter mortuum fecerunt, bona omnia occuparunt, fructus de iis percipiunt, et in suum vertunt usum; mihi nec obulum pro necessaria sustentatione suppeditare volunt. Et non modo bona immobilia, imo omnia et ex meo proprio peculio comparata appropriarunt et inter se diviserunt, meque nulla habentem debita, ad aliquot decennia millium debitorem proclamaverunt, acsi debitor exstiterim circumscripterunt et per suos associatos exsolvi adjudicarunt.

Num quid agere possum miser Metropolita? destitutus modo vivendi, expulsi omnes servi et viri, qui me adjuvare possent, relictus prius cum duobus pueris, et quasi unus de mancipiis sub aresto Kupieczoviae maneo. Non fingo, Deus videt et Cives hujus districtus quorum gratia et ope vivo.

Qua igitur conscientia suadere quis potest compositionem aliquam, praetemissa tot gravamina sciens, totque praetensiones eousque non resolutas optime noscens. Nullo modo fieri poterit compositio, donec injuriae illatae prius refundantur, jam anni elapsi octo, patienter exspectabam misericordiam Sedis Apostolicae. Vidit Deus et videt oppressionem meam, nescit Sancta Sedes Apostolica et Proceres Regni quid patior ab ingratissimis; expectabo ad mortem usque justitiam, sin secus ex tumulo ossa clamabunt. Vestrum vero est fideliter exequi mandata et juste referre haec omnia Excellentissimo Nuntio. Super his maneo addictissimus Pastor

F. WOŁODKOWICZ, Metrop. tot. Russiae

286.

Vladimiriae, 14. IX. 1775.

Iterum instat in causa sua de bonis cum Coadiutoribus vertente.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 292.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,

Domine Patrone Singularissime.

Diuturnis molestiis, illis, quibus undique vehementer angebar, haud alium quempiam exitum partim dolore inefabilis ignominiae lacessitus, partim suffultus amore justitiae expectare videbar, quam, videlicet, aut per clementiam Sanctissimi Domini Decretum illud Sanctae Sedis Apostolicae, ad reintegrandam authoritatem Metropolitanam et restituenda omnia quaeque per violentiam mihi ablata emanatum, iterum comprobari et executioni mandari, aut per judicalem sententiam Sanctae Nuntiatursae, quam omnibus votis desideravi, ut singulae praetensiones meae, si verae et justae comperientur, sint evindicandae; sin vero corticem tantummodo justitiae praeferre videntur eodem Decreto, tam longo tempore expectato, quantumvis summo cum discrimine meo, rescindantur.

Ast, cum singulae indies impune coacerventur molestiae, augeantur amaritudines, proteletur subministratio justitiae, statusque causa nostra variam induat imaginem, nec non cuncta solatia et consilia jam pene animum despondere jubent, unum reliquum est expetendum beneficium, ne scilicet rapiant etiam vitam, vel potius commoda vitae, qui mihi eam non dederunt, atque eo ipso, ne amplius vel spe fallaci de administranda justitia miserrimus Praesul illudar, vel tandem aliquando fraudes timere desinam.

Nihilominus cum jam plenissime compertum exploratumque habeam, quibus mediis afflictissimum animum meum Excellentia Vestra experiri velit, et ad componendas res nostras in extremo ferre discrimine positum sua conferat consilia, haud aegre tuli, quominus me ipsum pigeret vel desideratam exquirere concordiam, quantumvis cum ingenti jactura Bonorum, honoris, atque dulcissimae vitae meae stabiliendam, vel apertissime denuntiare desideria mea Illustrissimo Czacki, Pocillatori Regni, quem Excellentia Vestra utpote virum praestantissimum nobis ad id genus concordiae offert mediatorem. Ego vero eundem justissimum super-arbitrum ad novum Compromissum super praetensiones meas expostularem.

Nec etenim desiderata tranquillitas illa fieri potest, quin prius dicta animadversione prospitiatur vitae atque honori, tandem consulatur immunitati.

Quare ne cui aut magis cupidus, vindictae ultionisque tenax persecutor compaream, aut minus saluberrimis Excellentiae Vestrae consilii morem gerere videar, aut denique praestantissimi mediatoris nolle obsecundare persuasionibus credar, igitur ingenue defero Excellentiae Vestrae quaeis conditionibus stabilienda foret nostra Concordia, quibus subsidiis munienda esset vitae meae tranquillitas, atque ad hunc effectum adnectere placuit puncta illa, in quibus agitur de componendis rebus nostris.

Quibus jam positis, statui plurimis precibus Excellentiam Vestram exorare, ut si nimis placuissent mea Coadiutoribus desideria, non jam vitae meae rationi, sed illorum potius invidia atque millenis diffugiis semper quaesitis, haud unquam delenda sit illa macula, quam mihi illi perinique inurunt.

Restat ut pro hac Vestra erga me benevolentia, in perpetuum me obligatum sentiam, paenes profundissimum cultum profiteri quod sim Illustrissimae, Excellentissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae obsequemus et humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae
Vlodimiriae, die 14 Septembris, 1775 anno.

287.

Vladimiria, 14. IX. 1775.

Conditiones compositionis cum Coadiutoribus in causa de bonis ecclesiasticis vertente.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 92, fol. 297rv.

Imo: Intaminatus honor Illustrissimi Metropolitanæ, Auctoritas Metropolitanæ juxta privilegia Summorum Pontificum et Serenissimorum Regum Poloniae, Metropolitanæ iurisdictionis, et Illustrissimorum Coadjutorum debita subjectio suo Coadjuto Decreto Sacrae Nunciaturæ prae-cavetur.

2do: A jurisdictione Illustrissimi Metropolitanæ Clerus utriusque Dioecesis dependeat, debitam ei praestet reverentiam, et obsequia et ut habeat Illustrissimus Metropolitanus libertatem assumendi ad latus suum personas delectas, atque ut ipse Illustrissimus Metropolitanus Olea Sacra consecret, aut facultatem concedat, pro utraque Dioecesi.

3tio: Cathedraticum, proventus contentiosi et gratiosi, jurisdictionis Episcopalis ad Illustrissimos Coadjutores spectet.

4to: Interceptos proventus ex Bonis tam Metropolitanis quam Episcopalibus Vlodimiriensibus et Brestensibus, tam stante sui administratione, quam nunc Illustrissimi Coadjutores Illustrissimo suo Coadjuto ante omnia realiter solvant, restituentque res mobiles et sese moventes proprio peculio Ill.mi sui Coadjuti comparatos.

5to: Illustrissimi Coadjutores suo Illustrissimo Coadjuto, scilicet Illustrissimus Coadjutor Metropolitanæ dimittat bona Grodek, Obarow et Sieniow, et solvat ei quotannis quinquaginta millia Florenorum Polonicarum, binis terminis: m. 25 in crastino SS. Trium Regum, idem in crastino S. Ioannis Baptistae m. 25, secundum calendarium novi styli; jam vero

Illustrissimus Coadjutor Episcopatus Vlodimiriensis et Brestensis suo Illustrissimo Coadjuto dimittat bona Kupieczow, Bralaszow, Iezierzany, Hruszowa et Biskupicze Wielkie, et quotannis sovāt m. 30 iisdem temporibus ut supra. Praeterea excipit sibi Illustrissimus Metropolitanus totam Archi Dioecesim in Magno Ducatu Lithuaniae, cum jurisdictione in spiritualibus et temporalibus.

6to: Illustrissimi Coadjutores subsidium charitativum et omnia onera ac omnes expensas domi forisque in se coassumant et semper Illustrissimum suum Coadjutum evincant, qui nulla onera solvat nisi Dispositoribus eorum Bonorum quae possidebit.

(f. 297v) *7mo:* In casu non satisfactionis in aliquo termino loco Vadii summa alterum tantum adjudicabitur Illustrissimo Coadjuto; forum Sacrae Nunciaturae designatur.

Caetera, pensatis temporum circumstantiis, Illustrissimus Metropolitae relinquit conscientiae suorum Illustrissimorum Coadjutorum, ut si damna ei attulisse sese sentiant, contentur restituere.

Pro peragenda calculatione et restitutione rerum desidereretur Compromissum.

Nota. Quod Bona Metropoliae, excepto Cathedratico, contentiosis et gratiosis proventibus, important annui proventus m. 150 Florenorum Polonicalium, iam vero Bona Mensae Episcopalia Vladimiriensis et Brestensis, demptis Cathedratico, contentiosis et gratiosis proventibus important quotannis m. 100 Florenorum Polonicalium.

Nota. Quos Illustrissimus Metropolitae suo pro tunc Coadjuto Illustrissimo Hrebnicki, coassumptis in se omnibus oneribus tum litium, et aliis omnibus expensis, exceptis Bonis Grodek, Obarow, Sieniow, quae ejus possessioni non subiacebant, solvebat per m. 48, sed crescente saeculo crescant ubivis fructus singulariter in Ukraina, adjecta etiam notabili reparatione magnis expensis Illustrissimi Metropolitae comparata in emolumentum bonorum, ideo proventus Bonorum Metropolitanae se extendunt ad m. 150 Florenorum Polonicalium.

* * *

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 295.

Illustrissime, Excellentissime, Reverendissime Domine,
Patrone Gratosissime.

Redux ex Tractu Sandomiriensi, acceptis debito cum cultu literis Suae Illustrissimae, Excellenstissimae, Reverendissimae Dominationis, rogavi Illm. Metropolitam ut Poriecios dignetur venire; postquam supervenisset, exequendo mandata Suae Ill.mae, Excell.mae ac Rev.mae Dominationis, quae ut optatissimum est mihi accipere ita gratissimum adim-

plere, omnem curam adhibui ad inclinandum animum Ill.mi Metropolitae cum suis Ill.mis Coadjutoribus, sed difficillimum fuit personalibus injuriis flectere; victus tandem laudabili erga se Suae Ill.mae Excell.mae Rev.mae Dom.nis sollicitudine, benevolentia ac salutaribus consiliis, cum maxima cordis sui amaritudine haec permisit longo tempore concertata, irrevocabiliter determinata referre (f. 295v) puncta, quae cum refero, suplico suam Ill.mam, Excell.mam, Rev.mam Dominationem persuasam esse, quod desiderem omni studio quam optime mereri de ejus gratia, favoribus me ejus commendo, cum sum demisso cultu

Ill.mae, Excell.mae, Rev.mae Dom.nis humillimus ac obedientissimus servus

FELIX COMES CZACKI, Sup. S.L.

Dabantur in arce mea Poricensi, 14 Septembris 1775.

* * *

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 296.

Bona Mensae Archiepiscopalis Metropolitanae in Polonia sita, absque deductione expensarum, efficiunt annui redditus flor. m. 70.

Bona Grodek, Obarow et Sieniow, non deductis expensis, reddunt flor. m. 18.

289.

(*Vladimiria*,.... XI1775.)

De amovendis impedimentis in erectione monasterii monialium in Vladimiria.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 355rv.

Ill.me, Excell.me ac Rev.me Domine, Benefactor Singularissime.

Ea me semper angit animi sollicitudo, ut semel illud restaurandi monasterii Vlodimiriae Monialium Basilianissarum susceptum studium (: quod ante octo annos iam elapsos Nuntius Apostolicus suavit, quod totus Nobilium Palatinus Volhynensis pro suis filiabus apud S. Sedem Apostolicam et apud Nuntiaturam Polonam per supplices literas postulavit, quod Sancta Congregatio per literas Em.mi Castelli sub annum 1775 et diem 13 Maii, ad me datas vehementer laudavit, quod denique Excellentissimus Garampi in suo rescripto ad Nobiles Dictrictus Vlodimiriensis dato manutenere et omni meliori modo iuvare appromisit:), ego non prius continuare desistam, quam vel iuxta petita mea diu desideratum beneplacitum Apostolicum ad stabiliendum illud incoeptum opus assequar, vel una cum precibus ad pedes Emm.morum PP. vitam meam, implorando gratiam, finiam.

Enim vero fuit illa spes haud inanis, quod hoc opus restorationis

sicut fide (: nam ex iusto motivo et evidenti in privilegio Sigismundi Augusti Regis Poloniarum contento hisce formalibus vocibus expressis: « Ecclesiam S. Eliae Prophetae et monasterium ubi fuerunt caellae Monialium », quod quidem privilegium in actibus publicis Castri Vlodimiriae omnibus patet:) incoeptum est, ita bono iure omnibus Metropolitanis Ruthenis conveniente secundum Nomocanonem Graecorum et Constitutiones Principum, sed vel maxime secundum Bullam SS.mi Domini Benedicti XIV « Inter plures iucunditatis fructus », in qua expresse Metropolitanis committitur ad finem Bullae cura restaurandorum Monasteriorum, continuatum meis propriis et multis impensis, aliorum autem Metropolitanorum exemplis, utut Velamini Rutski,²⁹³ qui in civitate Grodna, ad parochialem ecclesiam, quae fuit superflua, fundavit monasterium Monialium, ut exemplo Leonis Kiszka, qui in civitate Novogrodek ad ecclesiam parochialem Moniales fundavit. Cum tamen illorum restorationes hucusque permanent, meo autem decreto illorum (: qui sicut protectores iuvamen appromiserant non tantum ad meas preces, sed ad totius Palatinatus Volhynensis instantiam:), Decreto, inquam, illorum quibus non decisiva sententia eversionis, sed clarior informatio quaestionis et modificatio inter lites concedita fuit a S. Congregatione de Prop. Fide, subvertitur post annos octo elapsos misera communitas Monialium Virginum nobilissimarum, quae in spem tantarum appromissionum et iurium ingressae sunt idem monasterium, Professae cum solatio suorum parentum, nunc cum dolore et scandalo omnium eiciuntur, interturbantur, minis et inhibitionibus opprimuntur, usu Sacramentorum privantur, Ecclesia de muro facta demolitur, ab exdotatione arcentur et elemosyna, appellatio mea a Decreto Nuntiaturae Polonae gravaminosissimo nescio quo fato non admittitur; documenta autentica Sinistre interpretantur, medium a Nuntiatura nullum suppeditatur; tredecim parochiales ecclesiae Vlodimiriae existentes, unum monasterium Monialium cum bono pati non possunt. In his ego calamitatibus, singularem protectionem S. Congregationis implorans maneo

Ill.mae Excellentiae addictissimus, obsequentissimus et humillimus servus ac exorator

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metrop. Russiae
Pauper et egenus, nihil habens, de bonis expulsus, emendicato vivens
pane et aqua.

²⁹³ Josephus Velamin Rutskyj, Metropolita Kioviensis (1613-1637); Leo Kiszka, Metrop. Kioviensis (1714-1728).

290.

*(Kupieczovia, 1. XII. 1774)**Interum instat apud Nuntium Apostolicum, ut removeantur impedimenta ex parte Episcopi-Coadiutoris in restaurando monasterio Volodimiriensi.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 304.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
 Protector Clementissime.

Compertum habeo Ill.mam Excellentiam Vestram plurimum allaborasse ut tandem aliquando statum in extremo fere discrimine vitae ac honoris positum meliorem valeat reducere frugem; nec minus quoque me latuit illa pridem sinistra de me suscepta opinio, quam, nifallor, invidia perfrictae naris hominum nescio quo misero fato meo ingressit cavillatio, ut vel Sanctissimarum Patriae legum Praevaricator vel saluberimorum Contemptor consiliorum haberi merear. Sed cum plurimis me jam litteris coram Ill.ma ac Reverendissima Excellentia Vestrae mundari studissem, geminumque negotium, tum quod mei ipsius personam concernit, tum quod Moniales Monasterii per me restaurati Vlodimiriae spectat, animo simplici menteque ac oculis in Deum ipsum justissimum remuneratorem defixis, satis exposuissem, nihilominus haec omnia somni instar nullum sunt desideratum sortita effectum. Ad reliquum, quid amplius mihi restare videretur? Haud aliud inveni medium nisi ut vel ipse me conferrem Varsaviam, et miserrimus Praesul ad pedes Vestros extremas jam compaream nunc lacrymas animi signa dedisse mei; sed hoc mihi vetat ut cum gravissima aetas, tum prorsus inevitabiles injuriae temporum, tum denique, quod maximum impedimentum est, quod ad haec usque tempora importuna militari custodia stipatus sum, vel potius ut destinatum ad id geminum explicandum negotium mittere non retardem personam, quod eo felicius et re venturum confido, quo benignius Illustrissima Excellentia Vestra Theologum Curiae meae Metropolitanae ac auditorem, R.P. Tymotheum Szczurowski, Monachum Basilianum Missionarium per Lithvaniam, Virum alioquin scientia et probitate insignem, qui mihi semper ab intimis fuerat, tanquam Oratorem meum optime utriusque negotii (f. 304v) gnarum exaudire non dedignabitur.

Mitto igitur plenus fiduciae hanc delegatam Personam ad Ill.mam ac Rev.mam Excellentiam Vestram, ut planum aperiat animi mei consilia, tum ut rationem reddat quibus innititur fundamentis praefatum Monasterium Monialium Vlodimiriensium; quoniam nunquam mihi animus fuit per strepitum juris contendere cum Reverendo Sawicki, Decano Capituli Vlodimiriensis; nec illae quoque Moniales, me superstitute Restaura-

tore Monasterii sui, aut potuissent, aut debuissent ad quaslibet iuridicas respondere Citationes. Quam si ultimam lucratus fuero gratiam, nulli unquam oblivioni tradendam, Deum ter Optimum Maximum continuis precibus exorabo ut Excellentiam Vestram quam diutissime sospitem ac felicem conservaret.

Interim maneo cum profundissimo cultu Illustrissimae ac Reverendissimae Excellentiae Vestrae addictissimus et humillimus servus

F. WOLDKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae

(ricevuta 1 Dicembre 1775)

291.

Volodimiria, 13. XII. 1775.

Constitutio Commissariorum plenipotentiarorum ad dirimendam causam cum Coadiutoribus.

ASV, Arch. Nunz. di Varsavia, vol. 89, fol. 246-247v.

Ex Actis Castrensibus Vlodimiriensibus.

Anno Millesimo septingentesimo septuagesimo quinto, mensis Decembris die decima tertia.

In Cadentia Judiciali Castrensi Vlodimiriensi, de die prima in annum et mensem supra citatum incidente nec non jam ad praesens iudicialiter agitari caepta coram me Casparo Joanne Nepomuk Kozlowski, Tribuno et Subcapitaneo Castrensi Vlodimiriensis et coram Actis praesentibus Castrensibus Vlodimiriensibus: Comparens personaliter Illustrissimus Dominus Felicianus Philippus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae, Proto-Thronius Vlodimiriensis et Brestensis Episcopus, Archymandryta Kijovopeczarensis, sanus corpore et mente, facto Recesu a propria sua sibi que debita Terrestri Jurisdictione, Foro, Districtu et Palatinatu, ad hanc autem praesentem Castrensem Vlodimiriensem Jurisdictionem et nuperrimam suam liberam ac spontaneam Plenipotentiae specialis recognitionem sese submitiendo, incorporando ex integro, ad plenam et manifestam certitudinem et notitiam deducit, nec non palam et sponte recognoscit: Quod idem duntaxat Illustrissimus Recognosces in loco sui et ex parte Personae suae Perillustrem Reverendum Dominum Dominum Antonium Ratomski, Canonicum Kijoviensem et Livoniensem, Nepotem suum Perillustrem Magnificum Dominum Xaverium Wolodkowicz, Judicem Castrensem Miniscensem, Patruelem suum ac Perillustrem Magnificum Dominum Franciscum Jankowski, Regentem Tribunalitium Magni Ducatus Lithuaniae, ut ratos, firmos, et nulli suspicioni obnoxios

procul omni dubio a se delectos Plenipotentes suos speciales constituit, delegat atque inscribit. Impertiendo plenam et absolutam illis potestatem imo et auctoritatem qua Plenipotentibus suis, Memorialia de intollerabilibus et haud unquam in simili praxi attingentibus injuriosis afflictionibus (quibus ad praesens et a multis abhinc temporibus ab Illustrissimis Reverendissimis Dominis Leone Szeptycki, Episcopo Leopoliensi, Coadjutore totius Metropolitae et Antonino Mlodowski, Episcopo Brestensi, Coadjutore Vlodimiriensi (f. 246v) afficitur) Serenissimo Regi, Domino Clementissimo et Consilio Permanenti, ad latus Majestatis suae, porrigendi nomine suo, sibique jam pene omni sustinendi vitae modo destituto desideratam implorandi clementiam. Ad fucatas prorsusque injuriosas ex parte eorundem Illustrissimorum Coadjutorum objectiones respondendi, et in scriptis satisfaciendi. In ipsa Actione, et in fundamento Concordiae, sive Complationis datt. Varsaviae, anno scilicet Millesimo septingentesimo septuagesimo secundo, mensis Novembris vigesima octava die, mediante Illustrissimo Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Garampi, Nuntio Apostolico, fulciente quoque auctoritate sua Serenissimo Rege, Domino Clementissimo, stabilitae et per utramque Partem subscriptae nec non Beneplacito Apostolico approbatae et corroboratae, ad effectum deducendae ejusdem Complationis, ex attentatis violentiis et deoccupatione, praeter sonantiam ejusdem Complationis, Bonorum Mensae Metropolitanae et Episcopatus Vlodimiriensis provenientibus, denique ad Compromissum de novo instituendum, Combinationem aliquam stabilem aut Judicium quodvis intra fines Regni agitabile (sopitis omnibus quibusvis tractationibus et propositis, quae adversus eandem Complationem Millesimo septingentesimo septuagesimo secundo anno, et post hac in favorem Illustrissimorum Coadjutorum, praeter scitum Illustrissimi Reverendissimi Domini Metropolitanae, non sine ingenti atque enormi ejusdem injuria exortae sunt) accedendi per scripta. Conditionales ad idem Compromissum sive Concordiam convenientes substituendi, terminum et locum eidem praefigendi, Personas sive Arbitros Compromissarios et Super Arbitrum deligendi, affectas Personas per quodcunque interesse suum excipiendi, minus vero aliqua necessitudine junctas, vel potius nec affinitate, neque servitio nec denique subiectione Partibus addictas acceptandi, eaque certiores reddendi nomine Illustrissimi Domini Actoris, agendi ac ut verbo complecter: in virtute Complationis superius citatae, Varsaviae initae, haec omnia et cuncta effectuandi, quae cum iisdem Perillustribus MM. DD. Plenipotentibus convenientia magis videbuntur. Sin vero Negotium exigere videbitur per strepitum juris procedendi, tunc ad comparitionem sese inscribendi, Decreta admittendi, iusta acceptandi, a gravaminosis appellandi, nec non omnibus jurium beneficiis utendi et experiendi. Quid-

quid autem per eosdem Perillustres MM. DD. Plenipotentes, superius de nomine et cognomine (f. 247) specificatus, sive per amicabilem Compositionem, sive per strepitum juris admittetur et stabilietur, id totum Illustrissimus Dominus Recognoscens pro re stabili, firma et irrevocabili acceptare spondet et appromittit, atque nullo titulo, modo, atque excogitabili colore irritare minime poterit, atque debet vigore praesentis Plenipotentiae specialis, libere et spontaneae recognitae et usque ad finalem Negotii solutionem sive terminationem valorem suum habiturae. Felicianus Philippus Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae, Proto-Tronius Vlodimiriensis et Brestensis Episcopus, mpp. Ex quibus Actis et praesentes Litterae exscriptae sub sygillo Castrensi Vlodimiriensi sunt extraditae. Scriptae in Arce Regia Vlodimiriensi.

Correxit MACEWICZ, mpp. - Legit ZURAWSKI, mpp.

(LS)

(fol. 247v) Plenipotentia Specialis Illustrissimi Reverendissimi Domini Wolodkowicz, Metropolitanae totius Russiae, perillustribus Reverendis Dom. Ratomski, Canonico Kijovensi, PP. DD. Xaverio Wolodkowicz Judici Castrensi Minscensi, Francisco Jankowski, Regenti Tribunalitio Magni Ducatus Lithuaniae. Data A. 1775, die 13 Decembris.

292.

Kupieczovia, 14. XII. 1775.

Certiorat de constitutione Plenipotentiarorum ad dirimendam causam cum Coadiutoribus vertentem.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 242.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
Protector Singularissime.

Plenissime jam ex Litteris Excellentiae Vestrae 7 Decembris ad me datis intellexi, quibus studiis, qua benevolentia, afflictionibus meis consulere, resque meas, aut ad meliorem redire frugem, aut sin minus reintegrari valerent, ad aliquam tamen partem solatii convertere eadem Vestra mihi addictissima Clementia animo utpote in Ipsum Deum fixo contendat. Enimvero cum sorte quadam felici benignas placuit Excellentiae Vestrae aures praebere Theologo meo R.P. Szczurowski (viro quem solida Pietas in Deum, in Majores suos Reverentia, Zelus in peragendis Missionibus, convertendisque Infidelibus nec non plurima in lucem publicam litteraria edita opuscula satis commendant), simul quoque per ipsum oretenus relata de misero statu meo, atque de Monasterio Monialium Vlodimiriensium per me resuscitato patienter atque mansuete suscepisse. Cui equidem be-

neficio cum pares hauc referre valeam grates, nihil restat nisi ut optimum Remuneratorem bonorum humillimis exorem precibus, quatenus suis semper obsecundet. *Votis*, mihi autem si quid auxilii (f. 247v) vel potius levaminis jam pene desperato illius dexteritate etiamnum lucrari continget, optarem medius fidius, si non judiciali ratione, quae non amplius mihi profutura censetur, verum non alia tamen amica compositione, quam quae merito respiceret tum Hierarchiae Ruthenae toties desideratam Unionem cum S. Romana Ecclesia, jam pene pro majori parte in Schisma labentis Populi, ut persaepe Nobis auditur, tum Intergritatem bonorum Episcopaliū, quae et ope Sanciti misere nuper in varias partes divelluntur ac devastantur (utpote ab Illustrissimis Coadjutoribus elaborati, qui in publica sua remanifestatione circa Acta Castrensia Vladimiriensia protestati sunt). Haec Sancita gravaminosa non per ipsos, sed per Excellentissimum Nuntium Apostolicum elaborata esse in pernitiam Metropolitanī et bonorum Episcopaliū tum denique, ut haec nova Compositio non magis me illaqueare et ultimum sustinendae vitae modum auferre toto spectante Caelo, et Sancta Sede Apostolica discernente disjudicentur. Ad hanc itaque Compositionem ineundam, quam spero, interveniente Illustrissima Excellentissima Dominatione Vestra mihi prospere eventuram, mitto Plenipotentiam in Personas Perillustrium DD. Antonii Ratomski, Canonici Kijoviensis, Xaverii Wolodkowicz, Judicis Castrens Minscensis et (f. 243) Francisci Jankowski, Regentis Brestensis, qui utpote a me Delegati decernent de mediis stabilissimis aequitatis et justitiae ad miserum statum meum tantisper sublevandum convenientibus. His itaque positis, imploro jam fidem atque clementiam Illustrissimae Excellentiae Vestrae nec non per illam Sanctissimi Domini Nostri obsecro Dexteram, quam Excellentiae Suae porrexit ad sublevandos miseros Praesules, ad stabilendam Unionem Sanctam, ad evellenda scandala, undecunque exoritura. Faxit igitur Deus pacis et consolationis, ut tandem aliquando sentiamus auxiliatricem Manum Excellentiae Vestrae, cui ex integro debetur, quidquid veniet justī, grati, atque prosperi Immunitati Ecclesiasticae. Caeterum cum profundissimo cultu maneo

Illustrissimae, Excellentissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae addictissimus et humillimus servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Kupieczovia, die 14 Xbris, 1775 anno.

Sedens sub custode... sine Custode et Calefactore, in frigore et egestate, humanam peto misericordiam.

293.

*Kupieczovia, 19. XII. 1775.**Iterum iterumque exponit causam suam cum Coadjutoribus vertentem.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 244.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
Domine, Protector Singularissime.

Nolit Illustrissima Excellentia Vestra miserrimum Seniculum gravissimo afflictionum pondere depraessum, solitum in perpetuos gemitus lacrimasque per ora manantes dissolvi, et continuo supplicem a se implorantem clementiam facile demirari. Ille etenim ego sum; nescio qua mea sorte inter Praesules purpuratosque Ecclesiae patres benignissimo Sedis Apostolicae Patrocinio annumeratus um, qui post tot ac tantos in Vineae Christi labores, merito Servus inutilis; post tot certamina, pro immunitatibus Ecclesiae et Unionis Sanctae suscepta, miles inermis; post eam, quam animo sincero, diuturno licet vitae meae miserrimae cursu eidem Romanae Ecclesiae integram fidem servavi tanquam fulmine anathematis tactus in favillam redigi, in ipso amantissimae Patriae meae sinu demeritus sum. Ingemisco singulos in dies: et tamen ullam Commiserationem mereor; instar Infantis abortivi, in conspectu Matris Ecclesiae turpiter despicior. Judicium et Justitiam per (quidquid sanctum et venerabile in Caelis genus humanum adorat) plurimis precibus afflagitare non destiti; at ecce iudicialis ratio ab ipso Sacratio Justitiae, scilicet venerando Tribunali Nuntiaturae Sacrae amplius mihi sese videndam promittit, donec (f. 244v) in longam flexero lumina noctem. Fidem atque clementiam vel saltem aliquam solatii partem apud Sapientissimum rerum Aestimatores (quem nobis Sedes Apostolica utpote parvulis miserat Ducem et Protectorem) implorari injunctum mihi fuerat. Imploravi at ecce semper nova Compositio facili ineunda suadetur. Nunquam fixa et immobilis Dispositio determinatur. Denique illud consilii genus cum summa admiratione percipio ad quod (f. 245) tandem totis Artibus contremisco: ut scilicet ego ipse, qui prorsus omni dominio, et usufructu privatus, iis, qui per omne nefas non modo mea mihi, sed me ipsum quoque ademurunt, novo quodam Arendario titulo Bona Episcopalia dimittam; ad illusionem potius Sedi Apostolicae, ad quam in ordine ad consequendam commiserationem appellaveram, ad meam quoque de supina quadam inertia, et incapacitate mea regendorum Bonorum protestationem, quam ad impetrandam tranquillitatem vitae condescenderem. Veniam itaque obsecro, veniam dolori et aegritudini meae penes humilimam animi demissionem depono: quod ab ea Concordia, quae sub annum 1772 stabilita est, et (f. 245v) benepla-

cito Apostolico roborata, nec minimum passum recedere valeam. Nec non ab Illustrissima Excellentia Vestra, utpote Mediatore nostro aequae sapientissimo ac justissimo, haec ad reliquum tria penes debitam venerationem expostulo: Primum: ut dexteritate sua meis exhibitis studiis ad ineundam Concordiam benignissime attestetur; 2dum: ut experiri velit animos Coadjutorum meorum vellentne? aut prorsus nollent, et iustitiae, et humanitati, et sacerdotali, tandem aliquando satisfacere officio? aut quibus tandem Juribus parere? Qua sorte esse contenti deberent? ut ea facilitate porrigant media propriis manibus subscripta, qua me incusare contumaciae et cujusdam astutiae non desinunt; 3tium: Ut, sin minus finem ponere litibus animus illis fuerint, solemnem manifestationem coram suo Tribunali per aliquem ex Plenipotentialibus meis pro Parte mea fieri non repugnet, ad haec autem Puncta sive desideria, quae ex instinctu Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Illustrissimae Excellentiae Vestrae offero, Resolutionem exposcens cum profundissimo cultu maneo

Illustrissimae Excellentissimae Reverendissimae Dominationis Vestrae, Protectoris mei humillimus et obsequentissimus Servus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Kupieczoviae, die 19 Decembris 1775.

294.

(*Kupieczovia*,..... 1775)

Desideria et conditiones Metropolitanae ad manutenendam Concordiam cum Coadiutoribus initam.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 89, fol. 248-250v.

DESIDERIA

Illustrissimi ac Reverendissimi Feliciani Philippi Wolodkowicz, Archiepiscopi Metropolitanus totius Russiae, Prototronii Vladimiriensis atque Brestensis Episcopi, Archimandritae Kijovopieczarensis.

In Ordine ad manutenendam Concordiam, Beneplacito Apostolico roboratam, cum Illustrissimis suis Coadjutoribus.

I.

Cum infelici quodam et prorsus inevitabili fato ad hanc miseriarum afflictionumque seriem, post hominum memoriam vix unquam auditam, Status vitae luctuosissimus Primatis Roxolanae Gentis non sine extremo

discrimine honoris, vitae, atque fortunae, ob infensissimos suorum Coadjutorum animos devenisset, in qua indecunq̄ue frustra quaerunt subsidia, nullumq̄ue sortiuntur effectum Sanctae Congregationis de Propaganda Fide saluberrima Consilia, minime exaudiuntur preces afflictissimi Praesulis nec non Propinquorum et Affiniorum, quorum nobilissima dexteritate multis saeculis splenduit, et etiam nunc refulget Polonia, misere pessundantur instantiae, Illud jam nisi extremum tentare permittit Sancta Sedes Apostolica medium: quatenus duntaxat prae laudatus afflictissimus Praesul arripiat manuq̄ue teneat Conditiones stabilitae sub annum 1772, sub auspiciis Serenissimi Regis Poloniarum, Concordiae; a quibus Concordiae punctis, quantumvis haud unquam deflecteret tamen Compromissariorum delatione, quasi Contemptor legis condemnari, Refragarius Sanctae Sedi Apostolicae traduci, omnibus denique Bonis spoliari (ipso tantum Deo teste atq̄ue vindice innocentiae oppressae) meritis est.

Hanc igitur extremam voluntatem Sanctae Congregationis de Propaganda Fide, in litteris ad se datis Eminentissimi Cardinalis Castelli, anno 1774, mense Januarii die 29, et Eminentissimi Albani, Protectoris Poloniae, anno 1775, mense Octobris die 21, et multis aliis facile citandis, ut scilicet manifeste protestetur idem Illustrissimus Metropolitae quo ad omnia puncta prae laudatam Concordiam manutenere, ejusdem executionem tum a Sacro Tribunali Nunciaturae, tum ab ipso Serenissimo Rege Poloniarum (f. 248v) exostulare, pacisque media absq̄ue sua injuria in re exquirere; hanc inquam voluntatem et consilium Sacrae Congregationis de Propaganda Fide ut obsequentissimus Praesul, omni quo par est studio atq̄ue conatu, ad effectum deducat, accedit nuper ad Sacrum Tribunal Nunciaturae, plenus spe atq̄ue fidei quod eam tandem aliquando nanciscetur clementiam, quam suadente omni justitia jam pridem in partem aliquam solatii sortiri deberet, nec non supplicis et humillimis precibus orat atq̄ue obsecrat: ut sibi integrum sit ad eam stabilitam Concordiam redire. Qua haud unquam opus fuisset, si modo persisteret in suo robore Decretum Reintegrationis.

II.

Sed cum animadverteret difficilem regressum sibi fore ad illud Decretum Reintegrationis, quod olim a Sanctissimo Domino Clemente XIV lucratus est, obstantibus mediationibus Magnatum pro parte Coadjutorum (nisi ad certas Conditiones Concordiae sese facilem redderem) eandemq̄ue Concordiam, utpote Beneplacito Apostolico firmatam, post debitam satisfactionem suis justissimis praetensionibus ab Illustrissimis Coadjutoribus suis praestitam manu... acquievit tantisper idem Illustrissimus Metropolitanus emanatis illis Conditionibus, utpote confusus de summa illa

ratione justitiae, quae non prius suaserat Patentales Vicariatus, ab ipso Sanctissimo Domino approbatas, Illustrissimis Coadjutoribus in manus esse committendas, quam eidem Coadjutores debitum calculum de sua administratione Bonorum Episcopalium, in absentia Metropolitanani habita, eidem reddidissent, necnon satisfacissent exaequo justissimis ejus praetensionibus. Sed O! Spes fallaces! O! palpabilis omnis justitiae et fidelitatis elusio! Enim vero, minime attentis iustissimis Metropolitanani Praetensionibus, suppresso Calculo, Coadjutores litteras Patentales e manibus Compromissariorum, in absentia Metropolitanani recipiunt, simulque Jurisdictionem in Spiritualibus exercent, absque ulla a Metropolitanano dependentia, Bona quae sibi magis placuerint ad Mensam Episcopalem seligunt; ipsumque Metropolitanum contumaciae condemnant, eo quod appellare a Judiciis gravaminosissimis Copromissariorum et subdola eorum designata lustatione Bonorum ausus esset ad Urbem. (f. 249) Enarrant tandem et illa vix unquam practicabilia Sancita, ad postulationem eorundem Coadjutorum, sive quasi ad desideria Excellentissimi Nuntii Apostolici (Instantis), quemadmodum asserant iidem Illustrissimi Coadjutores in sua publica remanifestatione circa Acta Castrensia Vlodimiriensia, facta in ordine ad spoliationem ejusdem Metropolitanani omnibus Bonis et ipsa Authoritate Metropolitanana.

Actum jam est et declamatum de miserrimo statu ejusdem innocentissimi Nostri Praesulis! Pellitur, adhibito Brachio Militari' ex Bonis advitalitiis; detinetur cum scandalo externarum gentium sub aresto Kupieczoviae, dissipatur misere Curia Metropolitanana, incarcerantur Servi, diripiuntur mobilia, ingemiscit Praesul, attestantur Incolae, obturantur Judicum aures.

III.

Missis tandem omnibus studiis atque justissimis querellis, nec non precibus continuis, quibus idem Illustrissimus Metropolitanus, accumulatis undequaque afflictionibus aductus, apud Sanctam Sedem Apostolicam penes Manifestationes de diligentia sui factas fidem atque clementiam implorare non destitit, illud saltem solatii et auxilii sibi retulisse gavisus: Quod duntaxat Sancta Sedes Apostolica serio illud negotium ad meliorem frugem revocandum dexteritate Excellentissimi Nuntii Apostolici in Polonia ex integro commendare dignata est, eoque ipso certiore reddidit Illustrissimum Metropolitanum de indubitata sua reintegratione futura, quo plenius constaret de sua Concordiae stabilitae acceptatione. At ecce paruit Consilio Sedis Apostolicae Metropolitanus, frustratus nihilominus spe, atque fiducia sua. Nec etenim Judicialis ratio eidem habenda proponitur, nec amicabile Compositio ea ratione, qua maxime decet et

convenientissima (f. 249v) est, militansque pro Juribus Actoris instituenda permittitur.

Imo: Quam igitur ob rationem non esse obsecundandum votis Sanctae Congregationis de Propaganda, et ipsi Sedi Apostolicae suadenti Concordiam stabilitam manutenendam ab utraque Parte, desiderat Illustrissimus Metropolitanus ab Excellentissimo Nuntio edoceri.

2ndo: Ea facilitate Excellentissimum Nuntium posse mitigare Sancta, credibile est: qua Ipsum, constat ex Remanifestatione Coadjutorum, ad sinistram delationem contumaciae Metropolitanae procurasse; sublata enim conditione, tollitur conditionatum. Sublata opinione de resistentia punctis Concordiae stabilitae, tanquam conditione, ob quam unice necessaria viderentur Sancta, debent quoque tolli illae angustiae atque molestiae, quibus afficimur Conditionatae; atque haec est Sanctae Congregationis de Propaganda Fide sententia.

Sin vero aliter sentiat Sacrum Tribunal Nuntiaturae, idem Metropolitanus in hoc casu quid sibi ultra faciendum? edoceri desiderat.

3tio: Appellatio Illustrissimi Metropolitanus ad Sanctam Sedem Apostolicam quod non fuerit facta contra conditiones Concordiae stabilitas, sed potius adversus easdem per Coadjutores et Compromissarios eorum violatas, exinde vel maxime liquet, quod iidem Compromissarii contra mentem Concordiae suppresserunt Calculum et praetensiones Metropolitanus.

IV.

Compromissum, et Commissiones, Lustrationes, multoties ex parte Illustrissimorum Coadjutorum adhibitae non posse subsistere, praetendit Illustrissimus Metropolitanus ob rationes sequentes:

(fol. 250) *Imo:* Quia ad illas juxta Vota Illustrissimorum Coadjutorum designatae fuerant Personae infensissimae Illustrissimo Metropolitanus; aliunde prius odio concepto et inveterato: utpote Illustrissimus Luceorionensis et Chelmensis Episcopi Ritus Graeci; tandem Personae necessitudine Consanguinitatis cum Coadjutoribus junctae, utpote Jarosienscii, Gostinscii, Wilczynsicii, Miodaszewscii, Wierzbieckii, Radzimisicii, Chalescii, caeterique bene multi, aviditate occupandorum Bonorum Episcopalium allecti. Ad reliquum adhibitae quoque fuerant Personae Censuris Ecclesiasticis innodatae, illae scilicet, quae duntaxat olim, sub Jurisdictione Metropolitanus, aut fidem non servarunt, aut hucusque in litigio cum eodem perseverant, atque effugientes Disciplinam Ecclesiasticam sub Patrocinium Coadjutorum, spe evadendae punibilitatis, aufugerunt, utpote Primowicz, Turkiewicz, Koronczewski, Sawicki caeterique Clerici ejusdem notae.

2ndo: Quia praetensiones Coadjutorum mere ad elusionem justitiae confictae cum summa denigratione optimae oeconomiae ejusdem Metropolitaniani acceptatae sunt contra evidentiam. Praetensiones autem Illustrissimi Metropolitaniani, omnibus Inventariis antiquis et recentioribus, necnon et Juramento facile comprobandae, in eodem Compromisso silentio praetermissae sunt.

3tio: Quia ista haec Lustratio Bonorum Episcopaliū, quae designata fuit a Sacra Nuntiatura ad Vota unius Partis, scilicet Coadjutorum facta, subticuit de proventibus annuis in parato aere summam Florenorum Polonicalium ex Bonis Metropolitanis importantibus singulos in annos centum quinquaginta septem millia, trecentos septuaginta septem (f. 250v) florenos et Grossos sex, Nro. 157.377, et Gro. 6. Quod Inventariis et Tabellis antiquis et recentioribus facile probatur.

Juxta Lustrationem autem in favorem Coadjutorum factam, annui proventus important Flor. Polon. 79.581, adeoque evidentissime subticuisse patet, tanquam deesset summa 77.796 Fl. et gr. 5.

Quam obrem desiderat Illustrissimus Metropolitanus Compromissum novum ex legitimis Personis minime impeditis compositum; Super Arbitrum vero Illustrissimum Felicem Czacki, Pocillatorem Regni; et Lustrationem de novo instituendam, tum denique amicabilem Compositionem esse tractandam. Sin vero eadem amicabilis Compositio non aliter fieri posset quam per medium Arendatoriae dimissionis Bonorum, hoc sibi unice praecavet Illustrissimus Metropolita, ut eadem Bona uni tertio Intervenienti cuiquam sive ex Magnatibus, sive ex Praesulibus eodem titulo Arendatorio, adhibitis omnibus cautellis, dimittantur, sub mediatio-
ne Serenissimi Regnantis et Excellentissimi Nuntii in Polonia degentis.

Deinde, ut eidem Excellentissimo Nuntio Illustrissimi Coadjutores patefaciant consilia sua in ordine ad in eadem Concordia facile Illustrissimo Metropolitaniano communicanda manibusque eorum propriis subscripta, unde facile deveniri posset, eos quoque saltem aliquibus studiis ad Concordiam collimare.

295.

1775.

Manifestatio quaedam Metropolitaniae contra Coadjutorem Volodimiriensem.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 294.

Manifestatio Illustrissimi Metropolitaniani contra Ill. Mlodowski.

Comprens personaliter Illustrissimus Excellentissimus Dominus Felicianus Phillippus Wolodkowicz, Archi-Episcopus Metropolita totius Russiae, Episcopus Vladimiriensis et Brestensis, contra Generosum Franci-

scum Newelski Roth. Magistrum hanc facit Manifestationem de hoc: quod Generosus, advento Ill.mo Excell.mo Manifestanti ad Praedium Zarzycense Vlodimiriense propter sua negotia, non modo ullam rem ad sustentationem dare voluit, tam propter Illustrissimum ipsum Manifestantem, quam et propter servos ejus, sed etiam fenum dare prohibuit equis, et cum Ill.mus Manifestans quaesierit, ex cujus dispositione et jussu faceret, ad hoc Generosus Newelski reposuit, quod in egressu suo Varsaviam Illustrissimus Mlodowski, Episcopus Brestensis, hanc reliquit dispositionem, ut Ill.mo Manifestanti cum venerit ad praedium Zarzycense, non solum nihil dare, sed etiam et ligna ad culinam non permittere, in quo Illustrissimus Manifestans a longo tempore, similia experiendo damna, de inhumano secum processu, tam contra Ill.mum Antoninum Mlodowski, Episcopum Brestensem, dantem talia mandata, quam et ea exequentem manifestatur.

296.

Kupieczovia, 10. I. 1776.

Amplissima relatio Metropolitanae de sua causa cum Coadiutoribus ad novum Pontificem Pium VI transmissa.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 541-44.

Sanctissime et Clementissime Pater.

Advolutus Sanctitatis Vestrae pedibus, et hos, carta hac devotionis meae interprete, profundissimo delibando osculo a copiosissimis mox lachrymis abstinere non possum, ubi imparem me agnosco, ut tanta distantia longitudine locorum, senex iam aetate, et attritus laboribus, sed praecipue his ultimis angustiis consumptus, ad quas per binos meos Coadiutorem redactus sum, ut, inquam, ad Patrem iustitiae, Vindicem et Liberatorem inique oppressorum, accedere ipse valeam, cui causas tantae in me persecutionis et Regiae Aulae offensae, libere confiteri possem, et de rationibus effari, quibus mei Coadiutores in huiusce Aulae favorem et primariorum eius Ministrorum sese insinuant perintime ad id tandem super me dominium pervenerunt, ut nihil invenire et excogitare possunt, quod dictae protectioni seu verius vi iniustae et praepotentiae comittere diffident, quod oblitus omnis religionis et pietatis, crudelitate inaudita, in suum Coadiutum exercere facile nequeant, ita ut, Pater Beatissime, quia super eo lachrymis amaris suffundar, et dolentissime ingemisco, quod ob eas causas vetitum est mihi adire illam Sanctissimam Sedem, quae uti pariter conflictans, hac praesertim temporum tempestate, cum tantis tamque in suam autoritatem iniuriosis adversariis palam agnosceret meam innocentiam videretque in me (: quod mihi maxime et unice solatio habe-

rem:) non degenerum suum filium, in locum proh dolor! quod hic acerbissima quoque sufferens, originali et principali motivo, tuitionis iurium et potestatis ecclesiasticae, a malis tamen traducor ceu inutilis et noxius pastor inter membra Ovulis Christi. Retuli iam, Pater Beatissime, in illa epistola quam misi initio adhuc Sanctitatis Vestrae adscensionis in regimen Ecclesiae universae, originem et successivam seriem malorum meorum, quae ex assumptione duorum Coadiutorum incoeperunt, et adusque ininterrupta et ingravescente in dies colluvie profluunt; retuli quibus modis et occasionibus usi ipsi Coadiutores, in mei oppressionem adlaborarunt; et tetigi licet per transennam Militum Russorum persecutionem, qui me, non insciis Coadiutoribus, in ultimam egestatem et rerum omnium amissionem reduxerunt; enarravi omnes vices, quas emensus sum in Sacro illo et intemerato Tribunali Congregationis de Propaganda Fide, quodque Sanctitati Suae praesto erit fidem dare tam de innocuo toto hoc tempore operationum mearum moderamine, quam et de adversariorum hac in parte malis artibus et industriis perniciosissimis; haeso demum et steti in describenda ultimae calamitatis et oppressionis periodo, quando Sanctitati Vestrae retuli de exuberanti adversariorum de me crudelitate, quibus nulla certo pietas fuit, et humanitas nulla, dum adscitis ex industria militum tam Regni quam exoticorum copiis me strictae tandem custodiae traderunt, dempto omni ad sustentationem vitae necessario subsidio et pulsus singulis familiaribus domesticis adeo, ut nisi pia amicorum devotio sublevaret necessitatibus senectutis meae providendo, miser Antistes squallore et fame consumptus iam dudum impietatis victima restare deberem. Haec itaque ac alia bene multa omittendo, ne auribus Sanctissimis, ultra quam par est, molestus sim, modo duntaxat superado, quod ab illo usque tempore quo ita coram Sanctitate Vestra conquestus fui, in hanc diem levamen tribulationum nullum, nec persecutionis remissionem aliquam habui, quin haec tanto mihi molestior redditur, quanto clarius iniqua ratio operandi Coadiutorum meorum conspicitur.

Etenim per illud Breve, quod Sanctitas Vestra dignata fuit mihi minimo suo filio dirigere,²⁹³ quodque in omni devotione penes me recolo, per illud Breve indigitatum mihi fuit, quod Pater Clementissimus pietate percitus Sacrae Congregationi de Propaganda Fide tunc iam commiserit, ut haec sollicitudinem suam intenderet, quatenus me de tam iniustis vexationibus tandem aliquando eriperet, et Coadiutores coelo longius ab ecclesiasticae disciplinae tramite aberantes in suum officium reduceret; quod

²⁹³ Breve gratiarum actionis et consolationis; cfr. sub dat. 1.VII.1775, in *Documenta Pontificum*, vol. I, pag. 242, nr. 817.

minime dubito rite expletum ab illo veneratissimo coetu, nam, ut accipi a meo illic agente, et apud totam Aulam Regiam instatum pro parte mei fuit et ad utrumque Coadiutorum scriptum, ne longioribus molestiis me amplius afficerent, sed beneficio, quod ipsis abunde concessi contenti intra limites Concordiae pactae se tranquilliter continerent, atque exercentes iurisdictionem Dioecesium et Cleri, et in fructibus respective ipsis designatis persistentes, mihi bona ad utramque Mensam spectantia restituerent. Verum haec monita parum ponderis ac momenti fuerunt apud ipsos Coadiutores, qui utpote auxilio saeculari suffulti, per vim mihi erepta bona omnia possidendo, satis ad singula ista respondere putant, et immoderatam suam avaritiam obtegere, dum sancita tamen decreta Confoederationis laicae in medium adducere non verentur, quae inaudito adhuc in isto Regno exemplo, iurisdictione et bonis omnibus spoliare me penitus penitusque praesumunt. Sane perutile est et proficuum nimis hoc beneficium adversariis, cum ita et opes magnas comparent, quibus sibi plures et potentiores hic patronos adaugent, et in tuto se ponant, quin rationem aliquam aliquando reddant, tam de proventibus durante administratione perceptis quam de fructibus a tempore violentae invasionis possessionum omnium usurpatis, et damna toto hoc tractu mihi illata resarciant, quae ut maxima sunt non possunt nisi in summum praeiudicium et rei ecclesiasticae detrimentum gravissimum vergere. Nota sunt haec omnia Rev.mo isti Apostolico Nuntio, coram quo cum a tanto tempore causa haec redditionis calculi haereat, finem tamen suum ad hodiernum diem usque aspicere non potest, ex quo Coadiutores optime conscii sunt, restitutionem istam sibi negotii facessere, unde, primum variis cavillationibus et subterfugiis usi, redditionem calculi ex tempore in tempus producebant, tandem, ad deponendam omnem prorsus anxietatem, ad saecularem potestatem se verterunt, ubi inveniunt et gratiam remissionis antiquorum et plenam libertatem novorum quorumcumque patrandorum, quid mecum egerint et quanta inhumanitatis monstra prodiderint, facilius iam erit colligere mente quam verbis et enarratione exprimere. Praestat vel solum adducere, subductionem videlicet ad vitam sustentandam necessariorum, quod uti cuique hominum quantumque miserabilium natura ipsa intollerabile est, ita mihi magis sensibile redditur ex eo, quod id summa iniustitia et oppressionem immanissima perpeti cogor.

A duobus enim et ultra annis, ut huic custodiae sum mancipatus, nihil ex bonis percipere mihi licuit, nihil a Coadiutoribus habui exhaurientibus hic omnes proventus ex singulis mensarum praediis, ne quidem excepto ipso, in quo detentus maneo, loco; colonorum census, propinarum redditus, agrorum segetes, terrarum fruges, pecorum fructus omnia in ipsorum et amicorum suorum commodum, nihil in meam necessitatem cedit.

Haec esse ipsis sacrarum legum pia observantia, haec ecclesiasticis decretis reverentia debita, in quibus nihil antiquius eo habetur, quam ut Coadiutores sublevantes suos in laboribus Coadiutos contenti esse debeant illa duntaxat portione fructuum, quae ipsis a Coadiuto assignata venit. Cedunt isti mei, in difficillibus et oneribus gravioribus subducunt humera, me solum exponunt in arduis et ad suavia ipsi accurrunt, si iura Ecclesiarum defendere, si ab usurpatoribus patrimonium sanctum vindicare, si in causis cleri patrocinium necesse praestare; ego sum ille qui haec singula in me coassumam, ego qui in his Tribunalibus causas cum summis expensis sustineam, ego, qui sacerdotes meos et clericos a schismaticis beneficiis submotos et carceratos sustentem, et pro horum liberatione apud Generales Russos omnes vires admovi; non fuit ipsis animus tanta licet dictae Aulae gaudentibus gratia ac benevolentia mitigandi et moderandi pensionem illam, quam clerus pauperrimus in Rempublicam contribuere constringitur, nec pietas ut remitterent a solutione cathedratici hos miserrimos Parochos, quorum magna pars tanta tenetur inopia et paupertate, ut manibus suis quaerere vinctum praematur; tanta vis eorum atque agendi potestas in eo enituit, qualiter me in ultimas angustias reducere et rebus suis qua potuerint melius prospicere valerent. Nec satis habent tot iniuriis, et damnis me affecisse; quaerunt praeterea, et quod mihi molestissimum est, apud istum Rev.mum Nuntium modos, instant potentissimi, ut me iam iurisdictione exutum, et regimine temporalium spoliatum ad extremas tandem miseriarum aerumnas adducant, et in eam conditionem redigant, quod pastor prius et in florentiori aetate huic gregi praesidens, nunc in matura iam canitie existens, tamquam haedus foedum factus in abominationem et ludibrium omnium devenire debeam, quaerunt ut omni iure meo abrenuntiem, quod ad ecclesias meas et earum bona tam stricte mihi competit, quam fortiter tenet vinculum illud, quo me his addixi, dum in adscensione mea promisi fidele et ad vitae usque exitum constans ministerium; volunt a me cessionem novam cum iurisdictione totali omnium et singulorum utriusque mensae bonorum, et se exhibeant ad pendendam pecuniam, quanta ex locatione praedictorum bonorum extrahi potuisset; quod quantumque est iniustum, utpote ab ecclesiasticis regulis alienum, ut unus Antistes legitime constitutus ius suum abdicare cogatur, non unum tamen forse dictae cessionis propositum in Coadiutorum partes traheret, nisi horum prava intentio circumveniendi me tali modo sese palam proderet; quis autem ita est edoctus de ipsorum hac in parte fide pessima, quam ego, qui ut primis eorum pollicitis in hanc malorum tempestatem adductus fui, ita si istis promissionibus adhaeream, me irreparabilis et extremae infelicitatis vinculis dubio procul illaquearem; si enim modo dum nullo ipsis suffragante iure bona omnia

per vim duntaxat et praepotentiam solam occupantes nihil in mei sustentationem concedere volunt, nec tribuere vel minimum, quid iam mihi restaret sperare, quando spontanee permitterem et agnoscerem ipse eos Mensae utriusque possessores veros et legitimos esse patronos.

Haec dum ita mecum recolligo, Pater Beatissime, scindo cor prae dolore, sentio, quod adusque innocentia mea licet tot et tantis probata laboribus et vexationibus, semper tamen artibus Coadiutorum et exploratis horum cavillationibus superata succumbere debuit, ac quod acerbius, quod quantumque sit omnibus perspecta adversariorum mala mecum procedendi ratio, quantumque a singulis improbata, id tamen nihil valuit tribuere in mei defensionem, quia semper mihi attulit et mala maxima et moerorem crudelissimum, ubi admiravi semper et plurimum fatalem quandam neque pervestigabilem fortunae malae adversum me necessitatem. Non ita, Pater Beatissime, animo concido, dum ad Sanctitatem Vestram in tantis calamitatibus advolo, sed in spem maximam me erigo, quod ubi ab omnibus hic tamquem misera ovis in rapinam ferarum relictus maneo, apud illam Sanctissimam Sedem iustam defensionis ac tutelae protectionem inveniam, ab illa solatium afflictissimus referam, quae in omnibus retroactis saeculis antiquissimum sibi habuit pro illa quam praesefert auctoritate altissima, innumeros Antistites et Dei sacerdotes religiosos a persecutionis malorum, et vexationibus eripere et liberare. Inspice itaque, Pastor supreme, in tam saevum Coadiutorum adversus me furentium exemplum, et respicias ultimae senectutis meae amarissimae lachrymas, exaudi profundos singultus, quos ex intimis praecordii dolenter edens ingeminatis praecibus repeto, ut adversarii mei desistant tandem aliquando ab omni ulteriori contra me molimine, ut restituant bona per vim et violentiam erepta, et reddant Ecclesiae, quae summo huius damno per tantum tempus usurpantes, in suum commodum vertere non veruerunt, ut relinquunt et pristinae libertati me reddant, removen-tes sequestrum, sub quo Coadiutum et Metropolitanum suum detinere non erubescunt ac denique beneficio contenti, quo ipsis cessi iurisdictionem cum determinatione fructuum et proventuum, utut persistant in illa Concordia, quam sub huius Rev.mi Apostolici Nuntii auctoritate stipulati sumus adinvicem; dies mei, dies sunt breves, quos ut in pace suis officii intendens traducere possim, supplex iterum iterumque Sanctitatem Vestram enixe exoro. Velociter exaudi me Domine... et auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi. Tanti ego beneficii memoria, et in continuis ad Altissimum precibus pro diutina atque felici Sanctitatis Vestrae conservatione non ingratum me acturum usque dum vivo appromitto. Cuius pedes humillime exosculans, Apostolicam Benedictionem mihi et clero populoque meo quam demississime imploro.

Sanctitatis Vestrae, Domini mei et Patris clementissimi, devotissimus filius, obsequentissimus famulus et exorator assiduus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Anno 1776, die 10 mensis Januarii. In Kupieczow.

R. - 16 marzo 1776.

297.

Kupieczovia, 31. I. 1776.

Iterata instantia Metropolitanæ, ut sibi fiat iustitia ex parte Coadiutorum, secundum postulata Concordiæ olim initaæ.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 92, fol. 305-306.

Illustrissime, Excellentissime ac Reverendissime Domine,
Domine Protector Singularissime.

Jam sane per me liceat quemvis bonique consulentem de misero illo extensoque Nationibus notissimo statu meo, quæ sibi magis placuerit concipere opinionem. Ego tamen inter spem metumque perpetuum eo esse animo non defiteor, quo maxime decet esse Praesulem Catholicum, inharentem vestigiis praedecessorum ne scilicet quod illis Divinissimis Viris maxime laudis erat, utpote Athanasiis (quos olim conciliabulum Episcoporum per quosvis dolos omni autoritate et bonis spoliare non veritum est), utpote Chrisostomis (quos, adhibito brachio militari infensissimus Clerus ad placitum Eudoxiæ Imperatricis Graecorum ad Cumanos in exilium misit), utpote Basiliis Cappadocis (quos non temere fulmina Imperatorum Valentis et Juliani et quibus carceres ipsi multo jucundiores pro tuenda dulcissima immunitate Ecclesiae fuere, quam Palatia Imperatorum), ne inquam quod illis maxime laudis erat cum extremo bonorum et carissimæ vitæ discrimine defendere fortiter atque tueri, Nobis id in amissione Iurium Primatialis turpissimæ atque indelibilis notæ, de qua nulla conticescet vetustas, omnium iudicio inureretur.

Decet itaque, ut quorum simili dignitate et caractere insigniti sumus, eorum quoque exitum perhorescere non videamur. Nihilominus illud me tantum vel maxime angit atque cruciat, quod vel invitus singulos in dies con... pinitis nationibus audire cogor, ubi est, inquiunt, vestra o! miseri Roxolani Primates, cum alma Romana Ecclesia, de qua vobis multum gratulati estis, dulcissima Unio, ubi materna protectio. Vestri vos filii nunc judicant, vestri condemnant clientes. Itane vero Metropolita Roxolanae Gentis, qui olim Patriarchalem Vicariam gesserat potestatem permittitur ab ipsis Coadjutoribus suis amarissime traduci? Novit hoc

Sedes Apostolica, cernit Nuntius ejus sapientissimus, indulget suprema potestas; mirantur et obstupescunt Hortodoxi, plorat ille gravissimae (f. 305v) aetatis et autoritatis Paedagogus, quem sui discipuli invicem flagellare permittuntur. O! rem non modo visu foedam, verum etiam auditu haudum, quam tollerandam; haec sibi dictant Moschitae, haec Luterani, et Calvinistae susurrant: Eja, inquit, gravissime Senex, ediscere vel e Romanae Ecclesiae dicito palam: si mihi Roma mater es, protege Filium prostratum, si vero noverca - dimitte paululum, ut plangam dolorem meum coram exteris Nationibus. Haec ego miser Praesul Unitus saepissime audio, haec audiendo contemno.

Spem nisi solam atque fiduciam in Vestra dexteritate Ill.mae ac Excellentissimae D. depositam habens, imploro judicialem rationem, post tot ac tanta difugia Coadjutorum meorum quid in hanc mihi praestare gratum longius dubitabit Excellentia Vestra atque eo ipso extenuabit patientiam meam; utique jam satis experta est animum meum propensissimum ad omnem quamvis combinationem. Placuit Vestrae Excellentiae, ut in eam articulos Concordiae, a se suppeditatos facile inivi, placuit ut eosdem manutenere cogar - firmissime teneo, placuit ut Literas Patentales Vicariatus in manus Excellentiae Vestrae porrigam - porrexi, placuit ut illos quantumvis ingrattissimos admittam ad omnem jurisdictionem spiritualem-admisi, placuit ut Literas interim Circulares per totam Archi-Dioecesim atque Dioeceses meas ad id genus negotii absque mora disponam et jussu Excellentiae Vestrae Tipo impressa Varsaviae et mihi transmissa - disposui et intimavi. At appellasti, inquit, a Iudicatis Compromissariorum per nos designatorum, verum equidem appellavi non ad subvertendam, sed ad stabiliendam Concordiam, cum etenim Articuli Concordiae sonant: quam primum reddendum calculum de Administratione et satisfaciendum justissimis praetensionibus meis, per Coadjutores, tum denique illis tradendas Literas Patentales Vicariatus, e contra vere factum esse constat per Compromissarios, numquid non recte appellavi. Deum ipsum testem appello, non mihi fuisse animum contradicendi stabilitae Concordiae, sed evindicandi praetensiones meas; compeler etiam (f. 306)r.) nam ab ipsa Sacra Congregatione de Propaganda Fide quatenus Articulus Concordiae manuteneam at ecce ut obtemperem Sedi Apostolicae: nihilominus contemnor et ad sancita gravaminosissima comprobanda, per titulum arendatarium cogar descendi, deinde jam ad ultimam perniciem avulsae fortunae meae connivendo arendatariae quoque combinationi cum hac saltem conditione, ut aliquis tertius sit interveniens designatus sive Praesul sive saecularis qui justa proportione et mihi et illis necessaria suppeditet atque ad id genus negotii porrexi puncta per Ill.mum Felicem Czacki, Pocillatorem Regni, quem ad hoc negotium ipsa Excellentia Vestra

Literis suis invitaverat at responsum retuli impossibilia me expostulare; utique potuissent ista mediante dexteritate Vestra modificari, si ex utraque Parte porrigerentur puncta; at ubi sunt Coadjutorum studia, ubi puncta, ubi Articuli, ubi conditiones ad combinationem manutenendam, ubi literae, si ex parte mea aliqua vel minima retardatio fuisset, mox divulgarentur monita, combinationes et censurae ecclesiasticae, at vero dum ex parte Coadjutorum nihil agitur, nihil auditur ad combinationem in- undam. Veniam peto, quod omnia surdis praetermituntur auribus, haud credere possum non superesse aliquam partem iracundiae post tot meas exhibitas deprecationes. Negotium Monasterii Monialium Vlodimirien- sium tam diuturno tempore nullum frustratur eventum, frustrantur tamen tot mea studia tandem aliquam partem solatii imploro illam fidem atque clementiam qui penes profundissimum cultum maneo.

Illustrissimae Excellentiae Vestrae, Protectoris Singularissimi Ser- vus humillimus

F. WOŁODKOWICZ, Archiepiscopus Metropolitanus totius Russiae
Die 31 Ianuarii, 1776 anno, Kupieczoviae.

298.

Kupieczovia, 30. IV. 1776.

Instat, ut deputentur Praelati latini ad dirimendam causam suam cum Co- adiutoribus.

APF, *Scrith. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 486.

Eminentissime, Excell.me ac Rev.me Domine,
Domine, Protector Amplissime.

Literas de die 16 Martii anni currentis datas, cum tanta veneratione recepi, quantam debeo huic Sacrae Congregationi et Sanctae Romanae Ecclesiae, in quibus cum summa laetitia animi mei perlegi, benignam Sanctissimi Domini nostri clementissimi de misero statu meo condolen- tiam, quam nulla merita mea praecesserunt, hocque prospero eventu o, utinam videam comprobatum! quod in dictis Literis Eminentiae Vestrae, Protectoris mei amplissimi, per expressum legi. Sed unam cum benigne pollicitam obtinuerim gratiam, alteram quoque humillime exposcendum mihi venit, ut nempe eadem Sacra Congregatio, favente Praesidio Emi- nentiae Vestrae, Protectoris mei amplissimi, vellet deputare, mediante Decreto suo, Commissarios de Statu Spirituali Latini Ritus Praelatos, qui valeant bene discutere omnes praetensiones meas, omnes iniurias iniu- ste mihi illatas, quas passus sum a Dominis Coadiutoribus meis indaga- tionemque faciant de his denigrationibus, quibus me coram toto orbe af-

fecerunt, et praesertim apud Sanctam Sedem, ut palam fiat, quis potius sit reus, an delatores iniuriosissimi? an ego? ostendique posset effrenata malitia eorum, quorum sum procreator in coadiutoriam meam, et benefactor, qui constantissime Unionem Sanctam conservo, et defendo, invictissima fide erga hanc Sacram Congregationem, Sanctam Sedem Apostolicam feror continuo, quam malo non deserere, etiamsi in miseriori statu essem constitutus, quam nunc sum, ac quod magis cum amissione vitae (: cuius fructus iam iam non gustaverim solum ob tantam temporum apud Regem nostrum iniquitatem, quo Schismatici deprimere satagunt nos et cum Romana Ecclesia Unionem:) omniaque ea non praetermitto, quae ad hanc Sanctam Unionem augendam conservandamque omnibus modis competere possit.

Hanc ergo unicum Eminentiae Vestrae, Domini mei, gratiam exposcens, deosculor manus ipsius, et sum cum debito cultu ac veneratione Eminentissimi, Excell.mi ac Rev.mi Domini, Domini Protectoris mei amplissimi humillimus servus

FELICIANUS, Archiepiscopus Metropolitanus
totius Russiae (mp).

Die 30 Aprilis, 1776 anno. In Kupieczow.

Em.mo Excel.mo ac Rev.mo Domino Domino Cardinali Castelli
S. Congregationis de Prop. Fide Praefecto.

(fol. 487v:)

Supplex exoro SS.mi Domini Nostri Clementissimi hanc praesertim gratiam, quatenus extradatur Mandatum Executivum, ut Ill.mi Coadiutores saltem aliqua bona ad sustentationem et residentiam statui meo congruam dimittant cum obedientia subditorum: Ill.mus Coadiutor Vlodimiriensis - Kupieczow saltem et Zaprudzie; Ill.mus Leopoliensis - Grodek, Sieniow, et in Palatinatu Kijoviensi Dydowszczyzna et Zabilocze, unde habeam sufficientiam tam pro me ipso, quam pro aulicis et servis meis, qui miseri hucusque in amicorum villis reclinatoria sibi quaerunt. Deinde scire vellem, quando causa mea de Praetensionibus per Iudicium disiudicabitur. Quam gratiam etc.

299.

(Kupieczovia, 8. VI. 1776.)

Historica expositio causae suae cum Coadiutoribus vertentis, ut tandem aliquando dirimatur et concludatur.

APF. *Scrutt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 457-462v

Em.mi et Rev.mi Domini.

Felicianus Wolodkovicz, Archiepiscopus Kijoviensis, Episcopus

Vladimiriensis et Brestensis, penes humillima sua obsequia exponit Em.mis Vestris, et cum amara cordis afflictione reproducit, quae a tot annorum curriculo tum in particulari Em.mis Vestris tum in communi toti huic Sacrae Congregationi pluries repetiit, implorando potens auxilium, et defensionem contra adversariorum suorum malignitatem inauditam, et persecutionem crudelissimam, quam in Oratorem, seposita omni pietate, in hanc usque diem exercere non metuunt. Hi sunt duo Coadiutores in respectivis Ecclesiis, Metropolitana scilicet Kijoviensi et Episcopali Vladimiriensi et Brestensi adlecti, qui prima assumptione sua in id votis unitis mox conspirasse visi sunt, ut Exponentem iurisdictione, bonis ac rebus omnibus penitus penitusque spoliare ab illo iam momento decreverint et seipsos dioecesium singularum, cleri et populorum, omnium praediorum ac universalium ex his reddituum patronos per fas et nefas ipsi substituere ac investire, vivente Pastore legitimo, neque ullo processu a iure suo defecto. Longum esset, Em.mi et Rev.mi Domini, si Exponens totam malorum suorum molem tanto annorum numero fautam, et in unum portentum hodie excretam individuis casibus ex ordine describere vellet; credit id totum Em.tiis Vestris esse praesens, dum tenet omnia ista Sacro huic Coetui exacte et diligenter a se delata et producta fuisse adeo, ut nullum facinus ab adversariis enixum praeterivit, quod Sanctae huic et Apostolicae Sedi tum quoque Eminentiss Vestris plane statimque non innotuerit. Ideo non immoratur hic Orator in adducenda conventionem illa primitus ex se vi minisque extorta, quae uti ab adversariis dictata, non potuit nisi gravamina summa, maximas iniustitias, iniurias atque praeiudicia sola in Oratore spirare, quaeque ideo non meruit ab Eminentiss Vestris approbari, prout actus violentus et contra omnes leges ac sanctiones conflatus. Remota quoque nimis est licet Exponenti hodie adhuc admodum sensibilis universalis illa bonorum omnium devastatio et rerum singularium depraedatio ab Russis, non insciis Coadiutoribus, in Oratorem hostili rabie exercuerant. Senserunt ipsi Em.mi et Rev.mi Domini quantis artibus malaque fide fuerunt instructi adversarii, quando detecta falsitate palliati praetextus absentiae intra dioeceses, ab ipsis dumtaxat Coadiutoribus in Oratorem effectae, in administratione dioecesium et bonorum nomine hos eosdem Coadiutores permanere passi non sunt, sed prolato iustissimo decreto eundem Exponentem ad plenam iurisdictionem et administrationem temporalium restitui sententiarunt, cum adprobatione huius decreti et expressa confirmatione ipsius pro tunc s.m. Clementis XIV, Pontificis Maximi, cadente et tunc in adversarios obligatione reddendi calculi ex fructibus perceptis de bonis, quae per annos plus quam duos tali modo possederunt.

Ingemiscit hic Orator et vehementissime indolet quod dictum decre-

tum nunquam executioni debitae demandatum fuit, et per artes Coadiutorum in eo tandem finivit, quod miser Archiepiscopus in praesentiarum in eo statu reperiatur, ut de tam vastis dioecesibus in unum angulum reductus, ex fructibus et bonorum mensae proventibus non exiguis nihil pene percipiens, fame et rerum omnium ad vitam sustinendam necessariorum inopia summa conteratur. Quibus viis modisque in id adlaboraverunt Coadiutores, quove eventu ipsis in votis successit, ne praelaudatum decretum effectum iustum unquam haberet, notum est Eminentissimis Vestris, qua ratione praetensam administrationem suam protrahere sunt adnisi, usque dum Rev. mus Apostolicus Nuntius Garampi provinciam legationis in Regnum Poloniae suscepit. In magnam assurgere pro tunc coepit Orator finiendi tandem aliquando suas calamitates, quando rescivit negotium hoc reintegrationis sui ad normam decreti fuisse dicto Rev. mo Nuntio plene ab Eminentissimis Vestris summoque ipso Pontifice praecommissum, qui de facto in id studium suum impendere habuit, qualiter Serenissimum Regem debitis maiestati officiis a Metropolitano exsolutis satisfactum placatumque reddere moxque absque ulterioribus dilatationibus plenae iurisdictioni, et bonorum mensae perfecto regimini Oratorem restituere.

Et licet satisfactio illa Maiestati per Metropolitanum praestanda simplici epistola adimpleri potuit (: nullo etenim actu vel crimine fidelitas et subiectio Exponentis Serenissimo suo Regi contaminata fuit, nisi quia ex sola calumnia tamquam rebellis et confoederatus per adversarios traducebantur:), ita tamen res Coadiutorum exposcebant, ut Oratorem, omnibus licet viribus renitentem, Varsaviam adducerent, ubi ope Ministrorum, qui sunt eximii fautores et protectores Coadiutorum potentissimi, non licuit Exponenti nequidem accedere ad Serenissimum Regem, nisi prius stipularet novam Concordiam et cessionem favore adversariorum compactam. Haec fuit, quae Coadiutoribus dimittebat iurisdictionem dioecesum, reservata sibi in hac primatiali dignitate et retentis omnibus ad Mensas respectivas attinentibus bonis ac horum proventibus, excepta certa summa pecuniae, quam quotannis solvere appromisit Coadiutoribus intuitu laboris, quem isti praestituri erant in tam late diffusis dioecesibus.

Facile memores erunt Eminentissimae Vestrae recursus dicti Metropolitanus, quem pro tunc fecerat ad Sacram istam Congregationem, deferendo de omnibus, quae secum ita agebantur. Et cum Emm. mis et Rv. mis Dominis placuit approbare praedictam Concordiam, rogabat Exponens saltem ipsi servari quae in toties dicta Concordia favore sui praecustodita fuerunt, nempe redditionem calculi ex administratione Coadiutorum, quam per universa Mensarum bona exercuerunt, et compensationem reversionemque damnorum, quae sibi maxima toto illo tempore fuerunt il-

lata. Ad hunc effectum destinati erant ab illo Rev.mo Nuntio duo Compromissarii, qui habuerant in mandatis, collectis prius fideliter praetensionibus Exponentis et iusta harum satisfactione exacta, procedere tandem ad denuntiationem iurisdictionis Coadiutorum, iuxta praescriptum Concordiae et instrumenta eisdem tradere, quae Orator manu sua firmaverat.

Non ita se gesserunt isti Compromissarii, in Coadiutorum partes pertracti et per totum ipsis obnoxii, qui inverso ordine, primum vi Oratorem iurisdictione privarunt et Rev.mo Coadiutori Vladimiriensi arbitrarie illa taxando tradiderunt, non audito nec compensari factis damnis, et praetensionibus, quae per Exponentem coram ipsis productae erant, quin transcendendo suae deputationis limites, pluribus decretis Metropolitanum gravarunt, a quibus ad Sacram hanc Congregationem Orator fecit recursum; commissum fuit Rev.mo Nuntio, ut tam gravamina a Compromissariis irrogata reduceret, quam calculum ex administratione Coadiutorum et compensationem damnorum omnium ex iisdem exigeret. Non parum visum fuit Metropolitanis, quod citationes ex illo Tribunali emanatae aliqua spe ipsum Oratorem demulcebant, ut Coadiutores tandem aliquando constringentur ad compensationem debitam damnorum; sed non ita haec agi ceperunt, et per Metropolitanum Oratorem omnia coram Sacra illa Nuntiatura producta, et plenissime probata fuerunt, quae ipsi resarcienda veniebant per Coadiutores, cum in medium prodiit Sancitum Confoederationis Varsaviensis, quo Oratorem privarunt spoliaruntque omni iurisdictione omnibusque bonis universarum dioecesium, non relinquendo ne libertatem ipsam commorandi in dioecesibus et locis sibi bene visis, prout id patentissime Em.mi et Rev.mi Domini ex dicto Sancito legerunt, ut et ex alio Commissionis militaris decreto, ubi duci iniunctum erat, ut hic ad bona copias militum expediret traditurus illa in potestatem et regimen Coadiutorum.

Exhorruerunt Em.mi et Rev.mi Domini in tantam Coadiutorum audaciam, et prout certo credit Metropolitanus non tardarunt ipsos adversarios debita reprehendere admonitione, ne in tam scelestum facinus manus solvere auderent, adhibendi et invocandi potestatem laicam in oppressionem unius in Ecclesia Antistitis et sui Primatis; nihilominus isti posthabita omni religione et pietate Summae Potestati debita, emendicato alio a Delegatione Varsaviensi decreto, si id solum tale nominare licet, an potius nefandam temeritatem et in ecclesiasticam auctoritatem praesumptionem audacissimam, iam privatum omni iurisdictione spirituali et bonis singulis spoliatum ad domum strictae militum custodiae et sequestro tradere non dubitarunt.

Non tardavit miser Antistes ad supremum et unicum defensionis suae apicem ex illo ergastulo iustas suas querelas deferre et cum eo tempore

vacans erat Sedes, scriptis ad Eminentias Vestras in Conclave epistolis, seorsivo memoriali Capitibus ex Ordine supplicavit quam instantissime, ut talibus violentiis provido remedio arginem ponerent, atque de opportuno levamine ipsi Oratori fame et inopia summa squallore consulerent. Surdis erat cantare, quando in omnes emanatas hinc ordinationes et monita perfracta fronte contraire Coadiutores non haesitarunt, et cum tempus vacationis Sedis tempus magis praestarent, facile iam hinc Em.mi et Rev.mi Domini colligere poterunt, quae toto illo intervallo perpeti ipsi necessum erat, totam spem suam reicienti in Summum Ecclesiae Universalis novum Pasorem, qua tandem successa electione, protinus accurrit ad Suam Sanctitatem cum plena expositione tam praeiudiciorum, quae a Coadiutoribus ipsi Exponenti illata erant, quam supplicationis, qua supremum auxilium et defensionem a tantis vexationibus et oppressionibus crudelissimis intensissime deprecabatur.

Permovit pia viscera Sanctitatis Suae haec lamentabilis oratio, unde Sacrae huic Congregationi plene commisit, ut in causam Oratoris inspiceret, quod iustitiae crediderit opportune definiret, liberando tali modo Exponentem ab ulterioribus quibusque Coadiutorum machinationibus, et persecutionibus. Non dubitat Orator quin bona in hac parte officia ab Eminentissimis Vestris interposita fuerint, imo vero credit certo ullam diligentiam praeteriri haud potuisse in tanto tamque gravi negotio, quale est tuitionis auctoritatis, et libertatis ecclesiasticae, laesae per invasionem potestatis laicalis in iura ac dominium Sanctuarii Dei. Laesa autem sane haec iura fuerunt et penitus oppressa, quando profani homines et milites Regni inundantes bona ex possessione legitima deturbaverunt, non parcendo ne ipsi quidem Metropolitanis personae, hunc summis iniuriis et contumeliis affecerunt, familiam domesticam in fugam et dispersionem adegerunt, pro Coadiutoribus omnia, pro se nefarie usurpantes.

Penetrabant haec animum Oratoris acerbe, excruciant tanto magis, quod videns universalem devastationem et depopulationem patrimonii Ecclesiae manu laicorum et hominum dissolutorum exercitam, eodem tempore ipse premebatur summa penuria, rerum omnium inopia adeo, ut nec sibi neque suis prospicere potuit de ratione et modo vitae necessitatibus substinendis opportuno, in quo eodem casu hodie fato suo infelici manet, cum neque de bonis percipere sibi quicquam licitum est, neque compensationem et restitutionem damnorum ac legitimarum praetensionum nancisci, quae coram illo Rev.mo Apostolico Nuntio productae fideliter et luculenter probatae iam dudum fuerunt.

Quare recurrendo hic Orator ad Em.mos ac Rev.mos Dominos et spem atque fiduciam totam in protectione ac defensione Sedis Apostolicae collocando, supplicat humillime et instantissime precat iustissimis peti-

tionibus benignas aures intendere, supplicat solutionem et satisfactionem damnorum tempore administrationis et ante a Coadiutoribus patratorum effective exigere, quae damna uti sunt maxima, ita nisi cum summo praeiudicio suarum Ecclesiarum praeteriri et negligi haud possunt. Supplicat bona omnia ad normam Concordiae, ab Eminentissimis Vestris approbatae, restitui iniungere, obligando Coadiutores ad reddendam omnium proventuum, quos a tempore praediorum invasionis et deoccupationis violentae ipsi Coadiutores nullo iure usurparunt, et ad hunc finem pro liquidatione et verificatione perceptorum proventuum Commissarios, viros probae fidei et experientiae deputare, ut Eminentissimis Vestris hic proponit Orator sequentes: Ad bona videlicet Mensae Metropolitanae Kijoviensis — Rev.mum Rosciszewski, Scholasticum Kijoviensem, Rev.mum Malachowski, Officialem Kijoviensem, Rev.mum Patrem Wazyński, Praepositum Generalem Ordinis S. Basilii Magni, Rev.mum Piotrowicz, Canonicum Kijoviensem, Rev.mum Zaluski, Surrogatum Kioviensem, Rev.mum Patrem Janczycki, Abbatem Ordinis S. Basilii Magni Ovrucensem; ad bona autem Episcopalis Mensae Vladimiriensis et Brestensis: Ill.mum et Rev.mum Sosnowski, Suffraganeum Livoniae, Rev.mum Glinko, Archidiaconum Brestensem, Rev.mum Patrem Rostocki, nominatum Abbatem Dermanensem, Rev.mum Patrem Novosielecki, Abbatem Kobrinensem et Rev.mum Kaniszewski, Praepositum Sielecensem.

Tertio: rogat Em.mos et Rev.mos Dominos, ut Coadiutores fideliter servent, quae in toties laudata Complatione Oratori polliciti sunt, et literae patentes per dioeceses a Metropolitano transmissae denuntiant, non inturbantes neque sibi usurpantes iura Metropolitana, iurisdictionalia et honorifica, tum ordinaria, quae sibi tam in illa Metropoliae parte, quae Magno Ducatu Lithuaniae comprehenditur, quam in aliis Coadiutoribus dimissis solemniter in Concordia et Instrumentis seu literis circularibus reservavit; unde pro quarto supplicat, ut Monasterium Sanctimonialium Ordinis Divi Basilii Magni, a se Vladimiriensis constructum et competenti livello provisum, a S. Sede mereatur approbari, et beneplacito Apostolico firmari, non obstantibus Rev.mi Coadiutoris Vladimiriensis et Decani Cathedralis, pro Parocho eius loci se gerente, oppositionibus, qui ut piam intentionem Oratoris eluderet, expedita inhibitione a Sacro illo Nuntiaturae Apostolicae Tribunali praepedivit, quin ecclesia magno sumptu in bona parte educta ad hunc usque diem terminari quaeat; quare, inspectis antiquis iuribus et documentis pro illo loco competentibus, placebit Eminentissimis Vestris huic devotioni Oratoris et publicae utilitati fidelium annuere ac dictum beneplacitum, uti iam toties supplicatum fuit, hac erectione indulgere.

Quia vero libuit Tribunali Nuntiaturae decreto, die octava Januarii

huius anni, ut in actu conspicitur notato inhibitionis, fine praepediendi fabricam ecclesiae prius emanatam, confirmare, ideo via appellationis recurrit hic Orator et Em. mis et Rev. mis Dominis supplicat pro hac receptione ac suis petitionibus superius expressis in totum delatione.

Quinto: renovat suas preces Orator pro restitutione Decanatum Kovelscensis et Bobruyscensis, quos, occasione avulsionis illius partis a Regno Poloniae, Metropolitanus inductus fuit per Rev. mum Nuntium Apostolicum ad sex dumtaxat menses Rev. mo Archiepiscopo Smolenscensi dimittere regendos tamquam per Vicarium suum, ea conditione ut emenso hoc spatio Rev. mus Archiepiscopus praedictos Decanatus usurpare non valeret, nisi renovata et ratificata de novo, et per expressum tali concessione a Metropolitano per Rev. mum Archiepiscopum postulanda. Non vult etenim induci Metropolitanus in tantum praeiudicium Sedi Metropolitanae Kioviensi tali modo inferendum, quem multa pristina exempla edocent, gravia damna hinc evenisse praedictae suae Ecclesiae.

Haec dum ita petit Orator, quoad singula decisionem atque sententiam ab Eminentissimis Vestris quam ferventissime praestolatur.

Quas Deus etc.

* * *

Moscovia (nota)

Em. mis et Rev. mis Dominis DD. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei Praepositis.

Mons. Arcivescovo espone la serie delle sue traversie, essere al presente sequestrato e mendico.

1. Chiede la restituzione de danni dal tempo che amministrano i Coadiutori.

2. Che gli si reddano i beni delle Chiese, a tenore della Concordia e per riconoscerli propone 12 soggetti.

3. Che i Coadiutori siano spogliati dei diritti Metropolitaniani iurisdizionali, onorifici e ordinarii usurpatigli.

4. Che si approvi dalla S. Sede la fondazione del Monastero Vladimiriensi delle Monache Basiliane.

5. Che gli si rendano i due Decanati Kovelscense et Bobruyscense che per soli sei mesi furono dati a reggere dal Nuntio all' Arcivescovo Smolenscense come Vicario.

R. - 8 giugno 1776.

Pro Feliciano Wolodkowicz, Archiepiscopo Kijoviensi, Episcopo Vladimiriensi et Brestensi.

300.

*Kupieczovia, 29. X. 1776.**Alia instantia Metropolitanae in causa cum Coadiutoribus.*APF, *Scr. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12, fol. 554 rv.

Sanctissime et Clementissime Pater.

Assiduae molestiae, majores in dies et acerbiores aerumnae; continuae et absque remissione ulla oppressiones ac miseriae ultimae non sinunt, ut antequam supremum diem claudam, plus a cruciatibus iniustissimis gravatus, quam annorum mole pressus, ut inquam prius ad Patrem misericordissimum et iniustitiae vindicem rectissimum non confugiam; ratus quod ita infelicissimo meo exemplo comprobatum post me relinquam et universo christiano orbi misera sorte pandam tandem illud, quod a sacrosanctis Ecclesiae regulis et legibus iam dudum exortum et execratum fuit semper, ut in Ecclesiis (pastoribus superstitibus) Coadiutores et successores adsumantur alii. Agnovi etenim, Beatissime Pater, et locupletissime veritatem istam apprehendi a primo usque die, quo tales Coadiutores mihi accersivi, quod in istis non restat nisi spiritus ambitionis et avaritiae, non remanet aliud, nisi desiderium accelerandi mihi mortis; quod si longe lateque describere vellem, fastidium certe Sanctitati Vestrae attulissem maximum, quod et perniciosissima facta referre deberem et illa iam alias tum Sanctitati Vestrae tum Sacrae illi Congregationi P.F. pluries repetita. Omitto itaque illa reproducere, relinquo reiterare singula a Coadiutoribus mecum gesta indignissima, sed illud solum deprecor a Sanctitate Vestra quam humillime et quam impensissime, ut si, praevalente semper vi et potentia, videre iam non licuit in hanc usque diem, quod Sanctissimus et iustissimus Pater et Sacra illa Congregatio P.F. ordinavit in hac causa perficienda, ut inquam prospiciatur de modo saltem, quo paucis his diebus meis abigere vitae humanae valeam necessitates; indignum etenim puto, et ab ecclesiastica dignitate, cuius nomen perfero, alienum, ut ultimo eleemosinae quaestu necessitatibus meis occurrere cogar nec non ut et illorum indemnitati et compensationi debitae provideatur, qui toto tempore harum calamitatum fideli semper mihi servitio addicti fuerunt: horrent enim ad Coadiutorum divertere partes, a quibus etiam indigne non possunt nisi expectare crudeles et iniustas persecutiones. Haec cum ita expeto a Sanctitate Vostra, ad sacros tandem pedes me provolvo, nec divelli ab his me sinam, quoad dies vitae meae spiro.

Sanctitatis Vestrae, Domini et Patris Clementissimi

obedientissimus filius et continuus exorator

Felicianus, Archiepiscopus Metropolita totius Russiae m.p.

1776, die 29 mensis octobris.

In Kupieczow.

301.

Polonia, 1776.

Quaerimonia Metropolitanae coram Comitibus Regni Poloniae de suis Coadiutoribus cum ampla expositione status causae.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 12 fol., 551-553.

QUAERIMONIA

Ill.mi et Rev.mi Feliciani Wolodkowicz, Metropolitanus totius Russiae, Episcopi Wladimiriensis etc. contra Ill.mos, Rev.mos Leonem Szeptycki, Leopoliensem, Metropoliam et Antoninum Mlodowski, Brestensem, Vladimiriensem. Episcopus et suos respective Coadiutores, coram Confoederatis in Comitibus Serenissimae Reipublicae Statibus exposita.

Status civium in Natione inde est vel maxime felix, quod viventes intra ambitum Regni, ab omnibus violentiis, praepotentiis semper sint immunes. Sub hac tessera Ill.mus Wolodkowicz, Metropolitanus totius Russiae natus atque in omni legum constitutionumque nationalium vivens rigore, cui per actiones suas apud Serenissimos Reges Poloniae assecutus est respectus, ut in supremo Hierarchiae et Episcopatus Wladimiriensis gradu extiterit collocatus. Atque in huiusmodi constitutus dignitate agnoveratque praestare Serenissimis Regibus subiectionem, Serenissimae Reipublicae et eius Nationalibus legibus venerationem profundissimam; in occasione vero eas transgrediendi teneri ad reparationem in omni subsellio ac loco, secundum processus formalitates et proportionales luere poenas; tamquam principale obiectum illud enim est, quod et securitatem undique favet et legibus affert auctoritatem et contentionibus imponit finem.

In hac innocenti ac irreprehensibili situatione status sui oppressus praepotentia, exutus iurisdictione pastoralis, remotus a bonis per Ser.mam Rempublicam collatis et a Ser.mis Regibus approbatis, sine ulla sanctione legali, sine culpa et transgressione in aliquo probata iudicii. Verum pauper et mendicus affectus iniuria Metropolitanus, sistit se coram oculis Confoederatae Ser.mae Reipublicae et supplex orat, ut vel benigne exaudiatur vel per delegatas personas recognoscatur innocentia sua, quam documentis probare desiderat. Modo vero breviter argumentum et occasionem negotii sui exponit.

Ill.mus Metropolitanus volens ex obligatione officii sui plenissimum pastoralis sollicitudinis suae dare documentum, vocavit in adiutorium Metropoliam Ill.mum Leonem Szeptycki, Episcopum Leopoliensem. Episcopus vero Wladimiriensis. Antoninum Mlodowski, Episcopum Brestensem, qua cum successione Coadiutores, in spe efficacissimi ab iis iuvenimus. Verum spe hac frustratus est. Hi enim Ill.mi Coadiutores, obliti gratitu-

dinis, in animam sibi induxerint Ill.mum Metropolitanum ex iurisdictione sua deponere et dignitatem hanc eius in suas personas transferre, ad quod effectuum si omnes passus facti, et excogitata media, per Ill.mos Coadiutores si exprimi deberent, procul dubio longa mea oratione delicatae aures afficerentur molestia.

Cum anno 1768 propter publicum in patria excitatum rumorem, degenti et obeunti sane pastoralia munera in Palatinatu Kiovien. Ill.mo Metropolitanato visum fuisset, ad evitandam omnem suppositionem, in remotiorem Dioecesim suam, in Lithuania sitam, commisso regimine ecclesiastico vicaria oeconomia viris commissariis, transferri, Ill.mi Coadiutores de hac sua absentia certiores facti, rumorem in patria sparserunt, acsi Eccel.mus Metropolitanus, derelicto regimine Ecclesiae et bonorum, extra limites patriae discesserit. Hac gravi delatione Ill.mi Coadiutores obtinuerunt a Sede Apostolica ad narrata sui administrationem et mox omnem Dioecesim et Bona, non attenta actuali Ill.mi Metropolitanati in dioecesi sua Lithvana praesentia, in suam receperint possessionem, quam ut melius firmarent, praesertim Ill.mus Coadiutor Wladimirien omnia fere bona consanguineis suis per contractus arendae, nullum ad hoc ius habens, cessit et acceptam in vim horum contractuum ex redditibus pecuniam in proprios usus convertit. Praeterea iidem Ill.mi Coadiutores, postpositis et contemptis omnibus Metropolitanati dispositionibus et depositis in his dioecesisibus suis officialibus, etiam clerum in Lithvania ad latus Ill.mi Metropolitanati existentem commovebant et excitabant ac ad effectuum huiusmodi commotionem in virtute administrationis tam iurisdictionis quam bonorum, officiales suos creavisse et biennio regimen suum exercitasse. Ill.mus Metropolitanus certior factus de huiusmodi insolentia per ex²⁹⁵ administrationem sibi illam, redit ad proprietatem suam tum in fundamento iuris naturae tum etiam in fundamento clausulae administrationis: *durante absentia Metropolitanati Russiae*. Ast Ill.mi Coadiutores impediunt ubique locorum legitimo Possessori ad proprietatem suam ingressum, quinimo ne angulum ad requiescendum permittunt. Hac methodo Metropolitanam ampliorum Bonorum Domino et possessore redacto ad paupertatem, soli Ill.mi Coadiutores omnium sunt potiti. Ill.mus Metropolitanus conqueritur humiliter apud S. Sedem Apostolicam contra Coadiutores suos et testimoniis praeclarissimorum virorum probat, nunquam se extra limites patriae repertum fuisse. Lucretus Decretum reintegrationis reinducens eundem ad regimen utriusque dioecesis, quam ad possessionem omnium bonorum, conveniebat Ill.mis Coadiutoribus, uti

²⁹⁵ Textus illegibilis (unum verbum).

filiis obedientiae debitae capiti visibili Ecclesiae, huic decreto acquiescere, verum contrarie proceditur. Ill. mus Metropolitanus anno 1770 jure naturae et vi decreti reintegrationis Sedis Apostolicae ad suam redibat iurisdictionem, Ill. mi vero Coadiutores anteposendo et calcando auctoritatem decretorum Romae vi et pertinaciter eam negabant usque ad annum 1772. Signanter autem Ill. mus Mlodowski, Coadiutor Wladimirien. bona in possessione Metropolitanani existentia invadens, proventus ex iisdem capiebat, iniustis continentibus oberabat, milites tum extraneos tum patrios sub regimine Mag. Lubawicki Generalis inducebat, personas tum ecclesiasticas quum saeculares captivabat et in carceribus detinebat: verbo omnis generis violentias, quemadmodum manifestationes Castrenses testantur, adimplevit. Huius loci est rem eam ac vim cum vi conferre, et manifeste apparebit innocentiam cecidisse, praepotentiam vero et cupidinem alienae substantiae victricem exstitisse. Conquerebantur Ill. mi Coadiutores de violentiis et tamen nulla bona Ill. mus Metropolitanus eis violenter eripuit, sed tantum sibi violenter erepta iura ac sibi advitalitiae pertinentia recuperare, lucrabare atque curare. Oppressus ultra biennio huiusmodi persecutione Ill. mus Metropolitanus atque reliquum vitae desiderans ducere in dulci quiete omnes convenientissimos ad pacificandum quaesivit modos. Cum itaque anno 1772, mense Decembri, Excel. mus Garampi, Nuntius Apostolicus in Poloniam venerit, concitatione huius Ministri Apostolici, Ill. mus Metropolitanus venit Varsaviam, et cum aliter quietem consequi non potuerit, inclinavit ad conventionem dictam *Concordia*. Huius argumentum et summa his continetur.

Ill. mus Metropolitanus cedit Ill. mis Coadiutoribus: in Metropolia Kioviensi et Braclavien. Ill. mo Leoni Szeptycki; in Wladimirien. vero Episcopatu Ill. mo Antonino Mlodowski regimen ecclesiasticum; in vim autem mercedis Ill. mo Szeptycki 15.000 fl. ex catedrali, et Ill. mo Mlodowski Coadiutori Wladimirien., quoniam redditus cathedrali 5.000 millia tantum flor. efficiunt, 10.000 flor. quolibet anno exsolvenda ex bonis vel bona talem summam importantia assignat. Omnia autem utriusque dioecesis Bona quam sollempnissime caventur Ill. mo Metropolitanano advitalitiae; per eam concordiam ex administratione sinistre obtenta Ill. mi Coadiutores rationem reddere declarant. Pro Commissariis designantur Ill. mi Rudnicki, Episcopus Luceorien. et Ryllo, Episcopus Chelmensis cum clausula: Qui si non componerent partes controversas, negotium ad iudicia S. Nuntiaturae remitti pro finali decisione debet. En initium causae fundatum in Concordia et inchoatum a satisfactione. Ita rei ab innocenti sequitur separatio.

Ill. mus Metropolitanus ex parte sua primus satisfaciens concordiae, tam ad bona Episcopatus Wladimirien. quam ad Metropolitana assignavit

Commissarios, faciendo innotescentian parti seu Coadiutoribus, ut ad peragendum hunc actum ad mentem Concordiae etiam a parte sua assignassent Commissarios. Renuunt Ill.mi Coadiutores, Ill.mus vero Metropolitanus descripsit statum bonorum, liquidando iusta et iniusta tempore administrationis commissa per Ill.mos Coadiutores. Cum in hoc statu res esset et concordia reciperet approbationem a S. Sede, eo extraduntur innotescentiales ex termino comparendi Vladimiriæ coram Ill.mis Commissariis. Verum Ill.mus Metropolitanus in Palatinatu Kioviensi, consolandi causa sacerdotes in carcere Berdiczoviensi existentes, alibi digne degens cum comparere non potuerit, prorogationem termini cumque obtinuit, ast in altero etiam termino propter easdem rationes comparere non potens, delegavit Plenipotentes tam Ecclesiasticos quam Saeculares ad dictam Commissionem.

In termino incidente, roborata Plenipotencia Ill.mi Memropolitani, monstratis praetensionibus ad aliquot centena millia flor. ascendentibus, Commissionem ad fundum pro calculatione et verificatione petierunt. Ill.mi Commissarii initio Concordiae pro deposito et ommissa prima satisfactione Ill.mo Metropolitanano quoad calculationem iniuriarum et praetensionum ex administratione emanatarum, imprimis accesserunt ad committendam iurisdictionem spiritualem Ill.mis Coadiutoribus et designandam in vim mercedis portionem assignatam atque Ill.mo Coadiutori Episcopatus Vladimiriæ. in quota 10.000 annui redditus assignarunt et in possessionem tradiderint sex villas circiter viginti millia annui redditus importantia.

Tam damno igitur modo in primo actu Plenipotentes videntes iniuriatam suam Plenipotentiam iuxta mentem Concordiae ab utraque parte approbatae, acceptatae et subscriptae, per Sedem autem Apostolicam approbatae, ad Sedem Apostolicam appellarunt. S. Sedes Apostolica huiusmodi gravatorum Commissariorum appellationem admisit, remedia iuris die 5 novembris 1773 anno extradidit. Unde remissa cum toto rei effectum ad S. Nuntiaturae decreta, ubi causa propter obstaculum sancitum per versutias Ill.morum Coadiutorum et hactenus non iudicata causa pendat. Ill.mi Coadiutores et praesertim Ill.mus Coadiutor Vladimiriæ. videns appellationem interpositam et timens Ill.mum Metropolitanum, stante appellatione impeditum in intromissionem ad memoratas sex villas, confugit ad commissionem militarem, obtinuit brachium militare, quo adiuvante, non modo sex villas laudatas per decretum Commissariorum (a quo appellatio est intromissa) sibi designatas in suam possessionem accepit, sed etiam ex aliis bonis omnibus frumentum, pecora aliaque mobilia ad dictas sex villas evehebat; inde in alia loca discedebat et trans mittebat, subditos oppressit et ad paupertatem reduxit, funditus bona spoliavit adeo, ut (queadmodum manifestationes et calculationes testan-

tur) ad 50 et amplius millia damni faceret. His omnibus impletis, quasi adimplendo rigore Concordiam, quae continet punctum lustrandi quotannis bona per respectivos utriusque partis Commissarios, miserunt Ill.mi Coadiutores lustratores ex servis domesticis constitutos una cum brachio militari a se conducto, per quod insignes factae sunt desolationes. Itaque Ill.mi Coadiutores uniformi in suis cavillationibus se... dentes modo, citra omnia superius expressa Ill.mi Metropolitani documenta, denigrantes eius passus suos vero iactantes, vindicant ope actorum suorum iustitiam ex contraventione concordiae derivare.

Utrum concordia haec quid significet et quid contineat? Non aliud quam cum contravenientibus iudicium definit et designat coram S. Nuntiatura.

Ubi ergo citatio ab Ill.mis Coadiutoribus de contraventione? Ubi iudicati obtentio, ut liceat huiusmodi facere executionem? Utique Ill.mus Metropolitanus in... satisfactus ad mentem concordiae, ipse vero in omni rigore eam adimplendo cum citaverit Ill.mos Coadiutores ad S. Nuntiaturam non impugnavit bona ad ulteriorem causae discussionem, quamvis bona haec supra decem millia inveniret. Adimplevit quoque in spiritualibus editis literis circularibus ad clerum tam Kiovien. quam Vladimirien. dioecesum eosque Vicarios suos esse in spiritualibus declaravit. Ex parte vero Ill.morum Coadiutorum praetensiones ex administratione bonorum, calculus de proventibus eorum, carcerationes hominum et servorum Ill.mi Metropolitani iam post decretum reintegrationis per Ill.mos Coadiutores adimpletae (quod quidem per Concordiam praecautum et praecustoditum est ante omnia discutiendum), hactenus indiscussum et iniudicata manent atque ex administratione plus quam septem centena millia florenorum Ill.mi Coadiutores Ill.mo Coadiuto debent. En ergo in quo soli Ill.mi Coadiutores sunt rei; in eo intenti sunt denigrare Ill.mum Metropolitanum fere cum summa excelsae eius Metropolitanae dignitatis ignominia et sic conculcando Statum ecclesiasticum, scandalum praebendo fidelibus adimplent sua intenta et violationes. Nam cum Ill.mi Coadiutores in iudicio Sacrae Nuntiaturatione pro contravenientibus assignatis laborarent diffugiis, converterunt se ad modos captiosos (nam anno 1774 die 2 Mai confugerunt ad Marescalcum anteaetate Confoederationis Cell.mum Principem Poninski et insciis Consiliariis Delegationis Comitiorum privatim obtinuerunt Sancitum hoc fine ut bona, quae ipsimet Ill.mi Coadiutores Ill.mo Metropolitanano in concordia cavebant quaeque in jure naturali debentur, adimerent et hoc Sancitum pro gloria actionum suarum dicentes, gloriantur oppressione innocentis Coadiuti sui.

Sancitum hoc subdole obtentum, sine productione et reproductione documentorum partium, manifeste demonstrat nullam causam Ill.mi

Metropolitani in Confoederatione fuisse, eo ipso nec iudicium fuit, et eo ipso Iudicium rigorosum et sententia dura, violentiam legibus canonicis et civilibus afferens contra Ill.mum Metropolitanum non iudicatum non convictum, suorum Coadiutorum vi captivum, exalari ex bonis non habentem modum vivendi, non potuit esse. Quia Sancitum privatum insciis Consiliariis Delegationis Comitiorum extraditum non designat iudicium vel hoc ipsum quod privatim et sine formalitate iudiciali obtentum ex se ipso vacuum, inane et invalidum apparet. Si quae enim causa est inter civem, et civem, illud in iudicio decidi debet. Sancita vindicantia sibi auctoritatem absolutoriam plus sinut quam absolvant. Nam si absolute... tantum quilibet lucratur quantum obiectio superat responsionem. Quodlibet iudicium auctoritatem consequitur, si lege iuvatur. Sancita vero in causis civilibus non subiectis documentis et probationibus pro et contra nulla iuvantur lege atque adeo non sapiunt nisi iniustitiam et praepotentiam. Quomodo igitur Ill.mi Coadiutores secure se opinantur vi legis tantas peragere violentias Ill.mo Metropolitanano..., si nemo civium videat in quonam fundamento lex haec seu sancitum nititur? Quinimo omnes existimant solam praepotentiam et violentiam legi illatam. De eo et omnes Dispositiones Confoederationis secundum ordinationem Serenissimae Reipublicae Confoederatae propter valorem debent subscribi ab octodecim ad minimum Consiliariis. Sancita vero privatim obtenta insciis Consiliariis, pacem publicam turbantia, qualem habere prorsus valorem? Certe ex se nullum, secundum eandem Ordinationem. Interim in fundamento tam... contra leges obtenti Sanciti, Ill.mi Coadiutores omnia bona ecclesiastica Mensae Metropolitanae et Episcopatus Vladimirien. receperunt. Tantas vero molestias et afflictiones tempore invasionis bonorum (obliti beneficii sibi in vocatione ad coadiutoratum praestiti) effecerint Ill.mi Coadiutores: Manifestationes in variis Castris factae et civium testimonia clare leguntur. Atque remoto iniuste Ill.mo Coadiuto a bonis, reditus ex iis debitos tam iure naturae quam concordia natos Ill.mo Metropolitanano in pecunia, frumento, pecoribus aliisque rebus in villis remanentibus (quemadmodum tabellae ad acta cassae Vladimirien. et registrationes dispositorum testantur) Ill.mus Coadiutor Vladimirien. ad 90.000 millia flor., Ill.mus vero Coadiutor Metropolitanus ultra 100.000 millia ascendentes acceperunt, et appropriavissent nihilque ex his rebus Ill.mo Metropolitanano dederunt vel dare volunt, adeo ut omnibus privatum sane modo vivendi eum residere effecerint. Persuadent Ill.mi Coadiutores captiose ad maiorem mortificationem Ill.mi Metrop. antepositis scriptis se nihil per Sanctitum lucrasse praeter laborem sine emolumento, iidemque semper promittunt Ill.mo Metropolitanano se responsuros, detractis oneribus et reservatis fundi expensis, omnes reditus ex bonis ei cessuros. Pulchra

consolatio Ill.mo Metropolitano! Quot lacrymas elicit, miseria afficit, quinimo ipsum carcerem Personae Ill.mi Metropolitani ad instantiam Ill.morum Coadiutorum affert.

Nescio utrum similem iniustitiam et odium a saeculis quisquam sit expertus, et quod in fundamento et substantia negotii malum sit, hoc Ill.mi Coadiutores tanquam beneficium jactare audent. Nam anno 1774, 23 decembris, simulando (opus utinam nunquam practicatum esset in Persona Metropolitani) legalem processum apparentiam, obtinuerunt apud eundem Cell.mum Principem Marescalcum aliud Sancitum, pariter insciis Consiliariis Delegationis Comitiorum, continens vim Commissionis; quosdam ex suis domesticis servis, quosdam ex consanguineis suis, non nullos in actuali litigio cum Ill.mo Metropolitano existentes, ad hanc assignarunt Commissionem. Citatus Ill.mus Metropolitanus private ad Iudicium huius Commissionis iniustae et violenter in Ill.mum Metropolitanum extensae, verum ipsa eius dignitas non sinebat coram iudicio, ex ipsis Coadiutorum domesticis, quondam suis propriis servis, tunc autem spe favorum vel comminationibus ad partes Ill.morum Coadiutorum pertractis composito, comparere. Quinimo ipsa iudicio huic subiectio Ill.mis Coadiutoribus nullam eis spem iustitiae aut legalis processus pollicebatur. Idecirco in circumstantia nunquam audita, permisit... praepotentiam quam evitare nequivit, se absente, iudicio ex personis ut supra laudatis exercere, et ita procedere, quemadmodum Pars iudicio hoc disponens desiderare potuit. Assignatus terminus Commissionis ab Ill.mo Szeptycki in bonis Grodek wielki, inducti lustratores cum inventariis ad velle sui constituti, quibus major medietas proventuum annualium, ut tum antiquis quam modernis inventariis probabitur, imminuta est. Productus elenchus ingentis expensae pro futuris Dispositoribus, idem Commissariis, Oeconomis, Gubernatoribus, Scribis, Plenipotentibus, archivistis aliisque servis, qui cum omnes redditus exhaurire non potuerint, restantiam iuxta Decretum Ill.mo Metropolitano adiudicarunt. Itaque advitalitius Dominus et Possessor redditus annualis 150.000 flor. fit pensionatus 20.000 millibus, et quidem non aliter, nisi rigorosa mediatione quietationis Partium.

Alio sed longe molestiori pro Ill.mo Metropolitano modo processerat Ill.mus Mlodowski, Coadiutor Vladimiriensis in Commissione Vladimiriensis agitata. Nam praeter omnes expensas fundi ex lustrationibus et inventariis, inscio Metropolitano factis, deductas, quibus annui redditus Episcopatus Vladimiriensis multum sunt imminuti, praeter has, inquam, expensas multos Praetensores variae conditionis induxit, qui varias praetensiones affirmarunt; non ommiserunt hanc favorabilem circumstantiam Consanguinei, ii praesertim quibus variis contractibus, tempore iniustae admi-

nistrationis, Ill.mus Mlodowski cessit bona et acsi pro triennali contractu solverint, interveniebant, et ab Ill.mo Metropolitano sibi adiudicadi hanc summam petebant.

Nullum obstaculum habuit Ill.mus Mlodowski Coad. Vladimiriens. tam respectu suorum desideriorum quam etiam Praetensorum in dicta Commissione. Reditus Episcopatus Vladimiriens. sunt in varios sumptus fundi per Ill.mum Mlodowski faciendos. Susceptae et agnitae sane omnes praetensiones inductarum Personarum adeo ut reditus Episcopatus Vlad. ad octuaginta et aliquot millia floren. ascendentes exhauriuntur, exceptis viginti et aliquot millium in pensionem annualem Ill.mo Metropolitano assignatis, quae etiam ne in posterum quotannis solvat Ill.mus Coadiutor Ill.mo Coadiuto multae praetensiones non specificatae et non sublatae relinquuntur, exinde ac si Ill.mus Metropolitanus multa debita contraxerit et sic per decretum Commissionis Sanciti, absente illo sc., Metropolitanus ab omnibus est abiudicatus. En effectus actus Commissionis ex servis et domesticis ad opprimendum Ill.mum Metropolitanum compositae, loco exaudiendae calculationis Ill.morum Coadiutorum ex administratione bonorum per insigne tempus tenutorum demonstratum est, Ill.mum Metropolitanum debere Coadiutori suo plus quam 50.000 flor. ac si tempore administrationis expensa pro negotiis Ill.mi Metropolitanus tantum superaret reditus, praeterquam quod alterum tantum Praetensores sunt lucrati!

RES CONSIDERATIONE DIGNA.

Bona accepta in administrationem, reditus aliquot annis in Ill.mos Coadiutores conversi, Ill.mus Metropolitanus vix sustentationem ex iisdem bonis habuit, interea Ill.mus Metropolitanus quinquaginta et amplius millia tenetur exsolvere Coadiutoribus ex decisione huiusmodi iudicii.

Nemo capere potest quomodo hoc non repugnat ordinato regimini? Ill.mus Metropolitanus, exsul ex bonis vix quidquam ex redditibus habuit. Ill.mus vero Coadiutor Vladimiriens., executor dispositionum, proventuum, potest adhuc ex iisdem a se possessis bonis et proventibus tantum ab Ill.mo Metropolitano praetendere? Qui non videt apertam iniustitiam! pumicisse debuit adhibere tantas irregularitates ad oprimendam et obfuscamam evidentem innocentiam. Nemo enim ex sana mente iustitiae esse iudicabit. Ill.mus Metropolitanus exsul bonis, Ill.mi vero Coadiutores possessores eius proprietatis ne obulum quidem ei importantes insigni tempore tantas adhuc formant praetensiones? Iuvat et hic attendere, quis potest expendere tantum quantum non percepit; expensae vero factae sine voluntate et consensu Actoris possunt ne eum respicere? Ill.mus Metropolitanus producit in S. Nuntiatura regesta, desiderat verificationem in damnis et praetensionibus suis ad Ill.morum Coadiutorum acomodatis

efficientibus ex ipsa administratione ultra 700.000 flor. Causa in sacra Nuntiatura inchoata in terminis propter tergiversationes Ill.morum Coadiutorum usque indecisa pendet, per Commissarios in partibus seposita, et in contumaciam adiudicatum est, ut Illmus Metropolitanus effiguratis Praetendentibus (quamvis nullam ab aliquo acceperit summam) ultra quinquaginta millia solvat.

Iudicent igitur omnes utrum ista sunt obiecta praetensionis, quas Ill.mus Coadiutor Vladimiriensis ad Ill.mum Metropolitanum efformavit! Illustrissimi et Perillustres Benefactores!

Infinitum esset describere omnes inhumanos (si ita liceat loqui) passus quos Ill.mi Coadiutores cum Ill.mo suo Coadiuto faciebant?

Perterreat haec imago infelicis Metropolitanus, breviter delineata, et ad compassionem et auxilium excitet. Non diffugia ulla, non vindictam, quam conditio et character ei non permittit, sed quae ei iure naturae debetur et Deus permittat illud quaerit. Effundit humillimas preces apud thronum Majestatis Senatus et Confoederatae Reipublicae, et orat Sanctum subdole obtentum, sine convictione et contrarium legibus cassetur. Orat, ut ante omnia reinducatur in bona Metropolitana et Episcopatus Vladimiriensis. et sibi advitalitiae servientibus ex quibus violenter expulsus, ab iisdem Coadiutoribus perquam sollemnissime per actum concordiae bona haec cauta fuere.

Desiderat iudicium, eo ipso desiderat justitiam nullo civi denegandam, non vindictae capiendae causa sed ut ex lege satisfaciatur in omnibus, a quibus inculpatur et eo ipso appareat Deo et Patriae Reus vel Innocens.

302.

Metr. Wolodkovycz R.mo Borgiae (?)

ca. 1777.

De negotio monialium Basilianarum Vladimiriensium.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi*, 12 fol. 355rv orig.

Ill.me, Exc.me ac R.me Domine, Benefactor singularissime.

Ea me semper angit animi sollicitudo, id semel illud restaurandi monasterii Vladimiriensis monialium Basilianarum susceptum studium (quod ante octo annos iam elapsos Nuntius apostolicus suasit, quod totus nobilium palatinatus Volhynensis pro suis filiabus apud Sanctam Sedem Apostolicam et apud Nuntiaturam polonam per supplices litteras postulavit, quod Sancta Congregatio per litteras Em.mi Castelli sub annum 1775 et diem 13 maii ad me datas behementer laudavit, quod denique Exc.mus Garampi in suo rescripto ad nobiles districtus Vladimiriensis dato manutenere et omni meliori modo iuvare appromisit). Ego non prius continuare desistam, quam vel iuxta petita mea diu desideratum bene-

placitum apostolicum ad stabiliendum illud inceptum opus assequar, vel una cum precibus ad pedes Em. morum Patrum vitam meam implorando gratiam finiam.

Enim vero fuit illa spes haud inanis, quod hoc opus restorationis sicut bona fide (nam ex iusto motivo et evidenti in privilegio Sigismundi Augusti regis Poloniarum contento hisce formalibus vocibus expressit: *Ecclesiam S. Eliae Prophetae et monasterium ubi fuerunt cellulae monialium*; quod quidem privilegium in actibus publicis castri Vlodimiriae omnibus patet) inceptum est. Ita bono iure omnibus metropolitanis Ruthenis conveniente, secundum nomocanonem Graecorum et constitutiones principum, sed vel maxime secundum bullam S. Smi D. ni Benedicti XIV *Inter plures incunditatis fructus* (in qua expresse metropolitanis committitur ad finem bullae cura restaurandorum monasteriorum) continuatum meis propriis et multis impensis, aliorum autem metropolitanorum exemplis, utut Velamini Rutski, qui in civitate Grodna ad parochialem ecclesiam, quae fuit superflua, fundavit monasterium monialium, ut exemplo Leonis Kiszka, qui in civitate Novogrodek ad ecclesiam parochialem moniales fundavit. Cum tamen illorum restorationes hucusque permanent, mea autem (f. 355v) decreto illorum (qui sicut protectores iuvamen appromiserant, non tantum ad meas preces, sed ad totius palatinatus Volhynensis instantiam), decreto, inquam, illorum quibus non decisiva sententia eversionis, sed clarior informatio quaestionis et modificatio inter lites concedita fuit a S. Congregatione de Propaganda Fide, subvertitur post annos octo elapsos misera communitas monialium virginum nobilissimarum, quae in spem tantarum appromissionum et iurium ingressae sunt idem monasterium. Professae cum solatio suorum parentum, nunc cum dolore et scandalo omnium eiiciuntur, interburbantur minis et inhibitionibus opprimuntur, usu sacramentorum privantur, ecclesia de muro facta demolitur, ab exdotatione arcentur et elemosyna, appellatio mea ab hoc decreto Nuntiaturae polonae gravaminosissimo, nescio quo fato, non admittitur; documenta autentica sinistre interpretantur, medium a Nuntiatura nullum suppeditatur, tredecim parochiales ecclesiae Vlodimiriae existentes unum monasterium monialium cum bono pati non possunt. In his ego calamitatibus positus, singularem protectionem Sacrae Congregationis implorans, maneo Illmae Excellentiae Vestrae addictissimus, obsequiosissimus et humillimus servus ac exorator

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolitanus Russiae.

Pauper et egenus, nihil habens, de bonis expulsus, et mendicatio vivens pane et ope.

(f. 356v, a tergo) Moscovia 1776. Risp. 8 marzo 1777.

303.

*Kupieczovia, 21. IV. 1777.**De fabrica monasterii moniarum Basilianarum Volodimiriensium.*APF, *Scrutt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 13, fol. 73-73.

Eminentissime, Excellentissime ac Rev.me

Domine, Protector Singularissime.

Diem ego illam plane beatam haud immerito existimarem, qua tandem Beatissimus Pater pro illa sua ineffabili clementia (qua omnes alii Praesules sorte quadam caelesti fruuntur) mihi quoque iam efficacem alioque optatissimam adferre opem non dedignaretur; revivisco equidem et ut ita dicam toties recupero spiritum fiduciae, quoties mihi contigit ex literis Eminentiae Vestrae, ut et nuper receptis sub data mensis Januarii die 11, anno currente 1777, suavissima in spe recipere solatia, sed tamen recrudescit dolor, quoties animadverto nova undique propullulare molimina; quo etenim animo intueri potero Monasterium illud Vlodimiriense ad aedes Sancti Eliae Prophetae monialium Basilianissarum, meis sumptibus et pauperrimis eleemosynis restauratum (pro cuius sonfirmatione toties supplicavi Beneplacitum Apostolicum); qua tandem mente tolerare possum communitatis illius ex orphanis et pupillis coagulae frequentissimos gemitus, lacrimas atque quaerelas innocentium, cernendo et singulas in dies devastationes. Cum tamen iura mea et Patriae sufficienter deduxissem, tum etiam in litteris, quas mense elapso dederam ad Ill.mum Nuntium Poloniae, tum in postulationibus, quas miseram ad Sacratissimum Dominum per manus Ill.mi Rylli Fabritii Orsini, Equitis S. Georgii. Expecto quidem patienter jam prope annis quotuor aliquod levamen, sed fallunt expectationem meam Inhibitiones exportatae contra me a Capitulo Vladimiriensi, ne audeam continuare fabricam incoeptam eiusdem monasterii, cuius iam prope finem derelictae continuam cerno ruinam, non sine illusionibus adversariorum, damno irreparabili pauperularum monialium, non sine scandalo saecularium. Porro, hac in re quod consilii capiendum esset, prorsus ignoro; non eas a votis absolvere, quae in eodem monasterio sollemniter ac canonicè professae sunt; non alio transferre; quoniam eidem monasterio suas dotes pauperimas applicarunt restaurando, sine quibus haud ullum monasterium aliud eas sustentandas suscipiat; nec tandem prorsus iuri meo cedere possum, ne eiusmodi praeiudicio et Antecessorum meorum jura infringam; qui multoties etiam ad parochiales ecclesias supra vacantes, ut in civitatibus Minsko, Novogrodek et Grodno monialium Basilianissarum fundarunt monasteria et Successoribus Metropolitanis (qui facultatem restaurandi monasteria a s.m. Benedicto XIV

incepta) in Bulla *Inter plures iucunditatis fructus...*,²⁹⁶ monasteria polona etc. et Decretali epistola *Demandatam caelitibus humilitati Nostrae*, vel inde iam privaretur, obesse videatur.

Restat igitur ut illis petitis meis insistens vehementissime orem atque obsecrem Eminentiam Vestram pro impetrando Beneplacito Apostolico super hac restauratione supradicti monasterii, quod tamen non dubito interveniente singularissima protectione Eminentiae Vestrae facile eveniet. Interim ergo summopere gaudeo quod data opportunitate perfruar Vestra clementia, qui penes profundissimum cultum maneo.

Eminentiae Vestrae Domini ac Protectoris Singularissimi servus humillimus et exorator

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metropolit. totius Russiae m.p.

Fol. 74 r: Eminentissimus Cardinalis Castellii

Fol. 73 v: Ruteni, 21 aprile 1777.

Si risponderà che l'affare è stato altra volta raccomandato a Mr. Nuntio di Polonia e che quando sarà consumato il giudizio in quella Rev.ma Nuntiatura, appellando alla S. Nuntiatura questa sarà allora in grado di esaminarlo e di fare la giustizia a chi spetta.

304.

Rozyszcze, 4. VI. 1777.

Idem de causa Luceoriensi ad Pontificem cum petitione Benedictionis.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Russia, Polonia, Ruteni*, vol. 13, fol. 100 rv.

(Beatissime Pater)

Cum nihil aequius iustiusque hoc debito Consilio intra fines Christianae Reipublicae magisque militans pro illo (qui rerum cunctarum anima dicitur) ordine servando haberi mereatur, quam Supremum nobis felicissime Dominantem ac de salute Gentium populorumque pene infinitorum, Christi nomine insignitorum, maxime vero de Episcoporum successu sollicitum ut ut aequae de illis, quos Divina Clementia et Sua Apostolica Benedictio ad Regimen Ecclesiae assumpsit, ex qua beata aeternitas ad praemia meritorum de gremio nostrum evocavit, quam primum reddere certiore deberi.

Hinc cum in partibus Russiae post felicem obitum Episcopi Exar-

²⁹⁶ Bulla haec edita est: « *Inter plures* », die 11.V.1744; cfr. *Documenta Pontificum*, vol. I, pag. 88, nr. 704.

chae Metropolis Nostrae Sylvestri Rudnicki²⁹⁷ contigisset Luceoriensem ac Ostrogiensem Dioeceses vacasse illorumque pro tempore Administrationem, vigore Nationalis Synodi Zamosciana tit. *de Metropolitanis* et tit. *de Episcopis*, a toto fere Ecclesiastico Rutheno-unito Statu cum annexo iuramento ad omnia contenta in eodem inviolabiliter sarvanda, acceptata ac a S. Sede Apostolica per Sanctissimum Dominum felic. record. Benedictum XIII P.M. anno 1724 approbata, rite et legitime ad manus meas devolutam esse, non modo emergentes calamitates earundem Dioecesium ex subsecutis violentiis, rapinis et devastatione omnium Bonorum episcopaliū per Affines et Consanguineos nuper defuncti Praesulis, sub praetextu effectuandae Constitutionis Regni factae sub annum 1768, cuius vis ac tenor usque ad tres partes remanentium mobilium in favorem Consanguineorum cedendas extenditur, perpetratis, cum profundissimo cultu ac veneratione Sanctitati Vestrae denunciare cogor; verum etiam solita Benedictione Apostolica et confirmatione neo-Electi ex Ordine S. Basilii Magni a Serenissimo Poloniarum Rege mihi, iuxta antiquissima iura nostra Metropolitana, ad consecrandum Praesentati Hieromonachi Cypriani Stecki²⁹⁸, viri alioquin integritate morum, vitae probitate et scientia rerum Divinarum insignis nec non bene meriti de Ecclesia et Communitate Ordinis sui, demissimis praecibus exorare contendo. Porro, ut eas molestias, expulsiones, violentias ac impedimenta, quibus tam in spiritualibus quam temporalibus ab iisdem supra memoratis Consanguineis Praesulis defuncti impune et contumeliose in ordine exercendae iurisdictionis Metropolitanae a furore temporum meliori reservem, Excel. mum Nuntium Apostolicum in Regno Poloniae commorantem postquam de omnibus peractis certiozem reddiderem, saluberrima consilia atque auxilia expectabo.

Ad praesens vero totum me ad pedes Sanctitatis Vestrae demittens, eam quam supra exposui humiliter exoptulo gratiam.

Rozyszcze, die 4 Junii 1777 anno.

Sanctitatis Vestrae humillimus et obsequentissimus servus et exorator
F. Wolodkowicz Archiepiscopus, Metropolitanus totius Russiae m.p.

305.

Rozyszcze, 4. VI. 1777.

Refert de obitu episcopi Sylvestri Rudnyckyj et de assumpta administratione nenon de neo-electo Cypriano Steckyj, episcopo Luceoriensi.

API, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, vol. 13, fol. 101-102.

²⁹⁷ Sylvester Rudnyckyj, Episcopus Luceoriensis (1752-1777).

²⁹⁸ Cyprianus Steckyj, Episcopus Luceoriensis (1777-1782).

Posito tandem fine iustis parentare lacrymis Commilitoni nostro iam iam labentis vitae pelagum emenso, viro plane apostolico Sylvestro Rudnicki, Episcopo Luceoriensi ac Ostrogiensi, Exarchae totius Russiae, qui eam illibatam fidem nuper ad diem scilicet septimam maii anno 1777 in suavissimo Matris Ecclesiae synu extremo cum osculo pacis reposuit, quam strenue et inter amplissimas suas dioeceses favit et in praecordiis suis servavit, non me diutius tenere possim, quin Eminentiss. Vestris totum fere progressum seriemque rerum gestarum hocce intervallo temporis aerumnosi paucis et fidelissime aperiam.

Enimvero postquam ad praestanda ultima obsequia exuviis pie defuncti Praesulis tum christiana charitate suadente tum suo Capitulo Luceoriensi Rutheno-unito literis suis ad id genus officii me invitante, maxime vero illa pervigili Nationalis Synodi Zamosciana a toto Hierarchico statu Rutheno-unito in ordine ad omnia praescripta fidelissime servanda cum annexo iuramento acceptata a S. Sede Apostolica per SS. mum Dominum felic. record. Benedictum XIII P.M. anno 1724 approbata animadversione, coactus subito me ad villam Rozyszcze nuncupatam contuli et praeter spem opinionemque meam Residentiam episcopalem turbulentissimis motibus plenam, cohorteque militum, plebeorum concursu, consanguineorum et affinium p.d. Praesulis congressu ad rapinas omnisque generis violentias, expulsiones patrandas, vel et ipsam necem cruentam inferendam mihi meisque Aulicis paratorum stipatam reperi, vix ac ne vix quidem, intervenientibus amicis, uno comitante Hieromonacho, Timotheo Szczurowski, Auditore meo duobusque puerulis pedisequis inviandum post humum corpus amplius nunquam videndam faciem ipsemet admissus fui, reliquis ex domestica familia partem sub aresto retentis partim verberibus, conviciis et contumeliis a debito mihi praestando servitio repulsis²⁹⁹.

Instigatore Curiae meae, deferente Literas pia suffragia defuncto Praesuli exsolvenda commendantes, violenter capto, carcerem intruso et crudelissime flagellato, Capitulo et Clero ad refragandum iuribus Metropolitanis omnemque denegandam obedientiam minis et gladiis coacto, haec et alia pene sexcenta impune patrata sub unico praetextu effectuandae scilicet Constitutionis Regni sub annum 1768 factae, disponentis cedendas esse tres partes rerum remanentium post fata Episcoporum in favorem Consanguineorum, postquam mitissime perpeccus sum, Administrationem nihilominus, a supra laudata Synodo mihi debitam, prospici-

²⁹⁹ Optima descriptio damnorum, quae ex ingerentiis saecularium, praesertim nobilium, in res ecclesiasticas proveniebant, praesertim ratione spoliis Episcoporum.

ciendo integritati ecclesiasticae inchoavi. Tandem novo Electum ex Ordine D.B. Magni, Hieromonachum Cyprianum Stecki, virum praestantis indolis, genere illustri, morum integritate, vitae probitate, scientia rerum divinarum insignitum, de Ecclesia et Communitate Ordinis sui optime meritum, a Serenissimo denique Rege Stanislao Augusto IV per privilegium speciale ad consecrandum iuxta antiquissima iura Metropolitana mihi praesentatum, quemadmodum gratisissime acceptare et consortem eiusmodi ministerii in Vineam Christi solita cum praxi, Deo auxiliante, efficere declaravi; ita quoque eundem singulari gratiae et protectioni Eminentiarum Vestrarum cum profundissimo cultu enixe commendo. Quatenus eundem et saluberrimis suis consiliis auxiliisque me iam iam ad tumulum properante³⁰⁰ et deficientibus viribus in hocce perdifficili ministerio fulciatis et optatissimam Apostolicam Benedictionem a Supremo Ecclesiae Moderatore feliciter nobis et utinam diutissime dominante impetrare non dedignemini.

Ceterum intra debitas preces pro incolumitate et felicissimo statu Eminentiarum Vestrarum studiosissime persistens, penes osculum Sacratissimae Purpurae maneo.

Rozyszcze, die 4 Junii 1777 anno.

Eminentiae Vestrae addictissimus et obsequentissimus servus et exorator

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metrop. totius Russiae mp.

306.

Curosan, 16. I. 1778.

Transmittit documenta foundationis monasterii Volodimiriensis Basilianarum.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 12. fol. n.n.

Illustrissime ac Rev.me Domine, Patrone Col.me.

Serius forsam quam oportuit omnes solemnitates foundationis et inscriptionis in negotio monasterii Vlodimiriensis Monialium Basilianisarum studiis meis peractae et expeditae sunt; nihilominus eam ego spem fiduciamque de vestra mihi optime nota clementia in me semper nutrio, qua unica suffultus etiam nunc non me confusum iri existimo; puto etenim quod sicut omnis cura et levamen istius negotii initium sumpsit a singulari dexteritate Ill.mae Dominationis Vestrae, ita quoque felicem eventum

³⁰⁰ Dictio haec fere praesaga, quia Metropolita iam die 12 februarii 1778 obiit in civitate Humanensi; in Ucraina, plus quam octuagenarius (1697-1778).

coronidemque, eadem adiuvante, procul dubio sortietur. Mitto igitur authentica documenta: 1. Originalem inscriptionem foundationis seu restorationis eiusdem monasterii ingrossatam Actis publicis Luceoriensibus; insimul mitto per extractum ex iisdem Actis publicis polono sermone inscriptionem dotis et eandem per manum Pro-Notarii authenticatam, latino sermone. Hocque totum negotium Vestrae Clementiae enixissime commendo, et exoptatum beneplacitum Apostolicum intimis votis expecto. Interim maneo³⁰¹

Ill.mae Rev.mae Dominationis Vestrae addictissimus servus

F. Wolodkowicz, Archiepiscopus Metrop. totius Russiae

Die 16 Januarii, 1778 anno.

In Curosan.

³⁰¹ Permansit neque unum mensem, quia iam die 12.II.1778 obiit in Human, in Ucraina.

INDICES

I.

INDEX NOMINUM ET RERUM

R.P. HLIB G. KINACH, OSBM

Numeri referuntur ad paginas I et II partis; signati «n» ad notas voluminum.

- ABBAS 178. - V. Basiliani.
 ACTA Magdeburgensia 68.
 ADRIANUS VI, Papa, 26.
 ALBA DUCALIS (Biala), monasterium OSBM 113.
 ALBA RUSSIA (Biela Russia) 69. 110. 111. 112. 115. 120n. 122. 220. 226. 227. 228. 265. 342. 350. 352n. 417n. - Ep. Suffraganeus 110. 112. 220. 221.
 ALBANI, Card., Alexander 475.
 ALBANI, Card., Joannes Franciscus 101.
 ALUMNATUS Pontif. 55. - v. Collegium.
 AMMAN A. M. S.J. scr. 41n.
 ANCYRANUS AEp. 151. 221. - v. Durini A.
 ANDEŻJEWSKI Basilius, Decanus 20.
 ANGLIA 422.
 ANTIMENSION 162. 168.
 APOSTATA 41. 42. 300. 308. 330. 331. 338. 363.
 ARABIA 81. 461.
 ARIUS 27.
 ARMENI 85n.
 AUGUSTUS III, Rex Polon. 8. 92n. 106. 167. 460.
 AUGUSTUS Stanislaus Poniatowski, Rex Polon. 363. 509.
 AULA - v. Austria, Moscovia, Polonia.
 AUSPERG, gubern. Leopol. 412.
 AUSTRIA 227n. 229. 265. 285. 352n. 447n. - Aula 295. 338. - Imperator 338. 341. - Imperatrix (Maria Theresia) 262n. 266. 278.
 AZGAYLO OSBM. 68.
 BAR, op. 290.
 BARACHTY, loc. 7. 20. 234. 241.
 BARASSOVIEN. 20 (Decanus).
 BARTOSZEWICZ Mathias 407.
 BASILIANAE (Basilianissae), Moniales OSBM 466. - Monasterium 314. 409. 423. 467. - v. Grodno, Luck, Minsk, Novogrodek, Vladimiria.
 BASILIANI, Ordo S. Basilii M., Monachi 3. 8. 13. 32. 33. 35. 38. 39n. 40-49. 51-55, 57-59. 61-71. 73. 74. 77. 83-86. 104. 112. 113. 118. 119. 122. 123. 129. 130. 133. 137-139. 149. 150. 160. 166. 169-171. 177-179. 188. 194. 204. 205. 208-211. 222. 223. 225. 226. 228. 252. 257-259. 261. 268. 281. 321. 327. 353. 408. 409. 439. 452. 467. 468. 471. 492. 507. 508. - Abbas 32. 48. 64. 86. 122. 123. 130. - Abbatiae 3. 8. 33. 35. 41. 45. 65. 149. - Archimandria 3. 40. 46. - Archimandrita 3. 39n. 268. - Capitulum generale 62. 63. 68. 137. 138. 149. 166. 170. 171. 177-179. 194. 204. 205. 208. 209. 211. 225. - v. Berest (Brest), Dubno, - Generalis 39. 59. 67. 130. 137. 138. 170. 257. - Monasteria 3. 40. 44. 57. 65. 69. 71. 85. 138, 139. 226. 228. 252. 273. 467. 492. - v. Alba Ducalis (Biala), Berezwecz, Biesiady, Borun, Brest, Buczacz, Byten, Chelm, Czereja, Derman, Dobrohoren., Dubno, Hlusznen., Jablonovien., Jatwiscen., Kamenec, Kaniov, Kassuten., Kazimirovien., Kobryn, Kremenec, Lavrov,

- Leszczyna, Manivilen., Mielec, Minsk, Miren., Morochovien., Mscislav, Onuphrien., Owruicz, Paslaviem., Poczajov, Polock, Popovicen., Pustynen., Sanctae Crucis, Sirocinen., Suprasl, Tadulinen., Torokanie, Troky, Uman, Unioiv, Uszacen., Vilno, Vitebsk, Vladimiriya, Werchovien., Zulkiew, Zydzyczyn, Zyrovice. - Protoarchimandrita 3. 39n. 41. 64. 69. 74. 122. 166. 177. 204. 268. 353. 452. 492. - Provincia Lithuania 41. 42. 54. 57. 64. 65. 71. 83. 84. 113. 133. 205. 210. 223. 225. 226. - Prov. Polona 118. 205. 228. - Prov. Russiae 57. 65. - Provincialis 39. 40. 43. 59. 77. 133. - Prov. Lithuanus 40. 57. 67. 68. 177. 178. - Visitatio monasteriorum 45. 65. 66. 71.
- BELZ, op. - Dioec. un. 24. 78. 96. - Palatinatus 442.
- BENEDICTUS XIII, Papa, 3. 507. 508.
- BENEDICTUS XIV, Papa, 4. 6. 32. 39n. 40n. 55n. 64. 160. 208. 226. 285. 467. 504. 505.
- BENIAMIN, judaeus 371.
- BERDICZOVIA (Berdycziv) op. 20. 255. 266. 270n. 278. 279-283. 288. 289. 292. 297. 301. 307. 309. 311. 314. 317. 318. 322. 323. 340. 352. 347. 348. 350. 352. 361. 371. 441. 442. 443. 498.
- BEREZWE CZ, monasterium OSBM 44. 67.
- BERNARDINI (Ordo S. Francisci, Observ.) 169. 189.
- BERITEN. AEp. 231. 237. - v. Garampi Jos.
- BEYNER Gedeon, OSBM 63. 104.
- BIALA (Bila), op. 113. 218.
- BIALASOUKA, villa 461.
- BIALOCERKIEW, op. 6. 7. 8. 20. 166. 299. 315. 323. 395. 442, - Capitaneus 6-8. 20. 22. 166.
- BIELAWSKI Andreas, decanus 20.
- BIELAWSKI Theodorus, decan. 20. 324. 326. 380.
- BIESIADY, monaster. OSBM. 40. 64.
- BIGAMI, dispens. 27. 454.
- BIGNANI Julius 98.
- BILANYCZ J., scr. 12n.
- BILINSKI Hypatius, OSBM 39. 55. 71. 74. 104. 113. 137n. 204. 205n.
- BILSKI, colon. 261.
- BISKUPICZE Wielkie, villa 345. 346. 370. 412. 465.
- BISKUPICZKI Male, Villa 345. 346.
- BLONSKI Petrus, dec. 20.
- BOBRUJSK, op. 166.
- BOHOLUBOVO, op. 131n.
- BOHOLUBSKYJ Andreas Jurievyc, princeps 131.
- BOHUSLAW, op. 20. 166. 299.
- BOLESLAUS Svidrygaylo 144.
- BONA eccl. - v. Metropolita.
- BONIECKI, dom. 461.
- BORGIA Stephanus, secret. 219n. 436. 454. 458.
- BORUNEN., monaster. OSBM 57. 68.
- BORUSSIA 228 (Rex).
- BORYSTHENES, fl. 136n.
- BOSCHI, Card. Joannes Carolus 435.
- BRACLAW, op. 20. 87. 121. 197. 218. 236. 239. 286. 290. 380. 395. - dioec. 259. 287. 295. 322. - Palatinatus 232. 236. 239. 242. 253. 254, 272. 287. 290. 308. 313. 337. 361. 364. 366. 371. 388.
- BRAHILOW, op. 323. - Brahynen. 20.
- BRAILOW, op. 20. 84.
- BRALASZOW, loc. 465.
- BREST (Berest'), op. 27. 48. 106. 107. 108. 134. 159 (Brzescie). 177. 178. 179. 180. 183. 184. 194. 204. 218. 248. 260. 263. 285. 408. - Dioec. 11. 13. 24. 32. 75. 96. 97. 98. 206. 218. 229. 232. 236. 239. 240. 242. 251. 252. 261. 262. 263. 264. 268. 357. 366. 382. 386. 406. 308. - Ep. lat. 32. - Ep. un. 31. 46. 98. 110. 217. 320. 321n. 345. 361. 406. - Monaster. OSBM 188. 261. - Palatinatus 218. 261. 407. - Unio 4n. 99n. 101n. 141n.
- BREVE v. Papa.
- BRODY, op. 289.
- BRUMATI 98.
- BRUSIOWSZCZYzna, bona 323.
- BUCZACZ, op. - Monaster. OSBM 44. 67. 74. 83. 84.
- BUDA, op. 427. 431.

- BULHAK Cyprianus, OSBM 73.
 BULHAK Georgius, Ep. Pinscen. 8n.
 34. 35. 174.
 BULLA v. Papa.
 BYKOWSKI, dom. 200.
 BYTEN, monaster. OSBM 66. 67.
- CALEPPI, auditor 267.
 CALVINISTAE 485.
 CALVINUS 41.
 CAMENEC, op. - v. Kamenec.
 CARDINALES 173. 174.
 CARMELITAE, Ordo Carmelitarum Dis-
 calceatorum 281.
 CARPASIEN. Ep. tit. 220. - v. Towian-
 ski F.
 CASTELLI, Card., Josephus Maria 185n.
 191. 198n. 199. 214n. 221n. 414n.
 450. 452. 457. 466. 475. 487. 503. 506.
 CATHARINA II, Czarina 115n. 160.
 227n.
 CATHEDRATICUM 150. 162. 233. 236.
 239. 240. 242. 257. 291. 324. 326. 334.
 402. 406. 431. 443. 464. 465. 482. 497.
 CHAJENSKI Thomas 446.
 CHALESKI, fam. 477.
 CHARZEWSKI 160.
 CHALCEDON, Concilium 27. 28.
 CHELM, civ. 5. 6. 26. 27. 81. 159. 442
 (terra). - Dioec. un. 8. 9. 11. 13. 24.
 31. 33. 75. 76. 78. 96. 178. 222. 228.
 442. » eccl. S. Nicolai 81. - Ep. un.
 5. 6. 8. 27. 30. 35. 77. 82. 84. 86n.
 130. 223n. 225. 226. 257n. 270. 290.
 319. 339. 341. 345. 360. 371. 443. 460.
 477. - Monaster. OSBM. 68.
 CHMELNYCKYJ Bohdan, dux 144n.
 CHODORKOVIEN. parochus 333.
 CHOMA Joannes, scr. 345n. 442n.
 CHORZEWSKI Joannes 446.
 CHREPTOWICZ, Procancel. 327.
 CHWASTOV, loc. 326.
 CHYZEWSKI Joannes, sac. 401.
 CLEMENS VIII, Papa, 4. 12. 99. 101.
 102. 128n. 138. 142. 421. 427. 431.
 CLEMENS XIII, Papa, 24. 30. 31. 51.
 100. 102n. 103. 167.
 CLEMENS XIV, Papa, 183. 184. 231.
 237. 243. 423. 432. 448. 450n. 475. 488.
 COLLEGIUM - v. Leopolis, Vilno.
 COLLOQUIUM Lublinense, a. 1680.
 258. 422.
 CONCILIA - v. Chalcedon, Constantino-
 polis, Ephesus, Florentia, Lateran., Ni-
 cea, Tridentum.
 CONGREGATIO Consistorialis 9.
 CONGREGATIO de Propaganda Fide 4.
 5. 10. 33-37. 53. 57. 59. 66. 72. 73.
 83. 85. 95. 112. 118. 131. 134. 138.
 140. 144. 175. 185. 191. 198. 200. 203.
 204. 208. 209. 212-219. 231. 232. 235.
 237. 238. 250. 258. 260. 273. 281. 293.
 302. 312. 319. 321. 322. 340. 348. 353.
 357. 372. 374-377. 395. 402. 427. 441.
 444. 445. 448. 449. 452. 466. 467. 474.
 475. 477. 480. 485-488. 490. 491. 493.
 494. 503. 504.
 CONSTANTINOPOLIS 144. - Concilia
 27. 28. 85. - Patriarcha 28.
 CONSTITUTIONES Apostolicae 19.
 CONSTITUTIONES pro ADioec. Kiov
 a. 1758. 14-18.
 COSACI 78. 96. 127. 142. 144.
 CRACOVIA 64 (Universitas). - Coadiu-
 tor 22n. - Ep. 22. 186. 249.
 CUMAN, bona 411.
 CUMANI 484.
 CUROSAN, loc. 510.
 CZACKI Felix, comes 131. 192. 194.
 323. 463. 466. 478. 485.
 CZAPLIC Theophilus, OSBM 48.
 CZARTORYJSKI Augustus Alexander
 90. 91. 170.
 CZECELNIK, loc. 20.
 CZEHYRYN, Czehryn 20. 121. 122. 124-
 127. 135. 166. 299.
 CZERKASY, loc. 121. 122. 135. 166.
 CZEREJEN. Abbatia OSBM 32. 45.
 CZERKIEWICZ Gregorius, sac. 134.
 CZERNIAWSKI Joannes 168. 202.
 CZERNIECHOV, op. 50. 51. 160. - Ca-
 stellanus 202. Ep. lat. 8. - Palatinatus
 131. 133. 316.
 CZERNICZYNYEN. 27.
 CZERNISZEW Zacharias Gregorowicz,
 Gubern. Albae Russiae 265. 277.
 CZOPOWICE, loc. 160.
 CZOPOWSKI 133.
 CZUDNOVIEN. 20 (Decanus)

- DANIEL Romanovič, Haliciae rex 99.
 DANILOWICZ 252.
 DANUBIUM, fl. 335.
 DECANATUS 20. 124. 299. 314. 330.
 340. 352b. - v. Belz, Bobrujsk, Homel,
 Kiov, Kovel, Owruć, Pawolocz, Ra-
 domysl, Rohaczew, Rzeczyce, Żytomyr.
 DECANUS 20. 218. 323. 324. 330. 380.
 443. - D. Foraneus 317.
 DERMAN, Archimandria OSBM. 3. 8.
 13. 40. 41. 51. 74. 85. 86. 104. 222.
 223. 225. 226. 492.
 DE YORK, Card. 34.
 DIDKOWSCEN. 349 (eccl.) 350.
 DIDOWSZCZYŻNA, loc. 381. 395.
 DIONYSIUS, (1440). 144.
 DIOSCORUS 27.
 DISUNIO 125. 337. 443. - v. Schisma.
 DISUNITI, Non Uniti, Dissidentes 18n.
 126. 130. 131. 138. 140-145. 167. 214.
 224. 243. 253-255. 258. 260. 262. 269.
 270. 289. 290. 296. 307-310. 314-318.
 323. 325. 329. 330. 337. 347. 352. 364.
 380. 381. 442.
 DMITROWICZ Stephanus 386. 394.
 DOBROHOREN. monaster. OSBM. 68.
 DOLINSKI, sac. 417.
 DOMAZYR, bona 91.
 DOMOSIELICA, loc. 160.
 DROZDOWSKI 332.
 DUBNO, op. 75. 76. 83. 347. 348. 350.
 351. 353. 443. - Archimandria OSBM.
 3. 8. 13. 40. 41. 51. 104. 222. 223. 225.
 226.
 DUKOREN. loc. 456.
 DURINI Angelus Maria, AEp. Nuntius
 Polon. 151. 157. 165n. 168n. 180n.
 207n. 231. 237. 251. 285. 333n.
 DYMYRIEN. 20 (Decanus)
 DZIERZAK 290. 291.
 DZIURDZIEWICZE, villa 461.
 DZWINA, fl. 227. 228.
- EPHESUS, concilium 27. - AEp. 97. -
 v. Visconti E.
 EPISCOPI Disuniti 115. 116. 224. 336.
 371. - E. lat. poloni. - v. Polonia. -
 Ep. uniti 4n. 9. 10. 12. 13. 70. 71-73.
 79. 85. 100-103. 105. 107. 109. 114.
 121-123. 140. 143. 144. 164. 165. 227.
 290. 312. 313. 339. 371. 421. - translatio
 9. 10. 11. 12. 13n.
 EQUES Ordinis S. Stanislai 347.
 EUDOXIA, Imperatrix 484.
 EUTICHES 27.
- FASTOW, loc. 20. 166. 323. 280.
 FLEMING 42.
 FLORENTIA, concil. 28. 29. 142. 144.
 FRANCISCANI Conventuales 111. 220.
 FRANSONI, Card., Jacobus Philippus
 454.
- GAJEWSKI Basilius 20.
 GALICIA, prov. 352.
 GARAMPI Josephus, Nunt. Varsav.
 211n. 216 n.220. 224n. 228n. 231. 237.
 241. 251n. 307n. 315n. 319n. 365. 401.
 466. 470. 489. 497. 503.
 GAWOSZYNSKI Nicolaus 447.
 GDENSK, villa 461.
 GDYSZYCKI Athanasius 20.
 GEDANUM (Gdansk) 190. 261. 327.
 331.
 GELER, OSBM. 57.
 GERASIMUS, Metropol. 144.
 GIEDROYC, Ep. Livoniae 110. 111.
 GIRYCZ Joannes 20.
 GLEMBOKA, loc. 219. 221.
 GLINKO, ADiacon. 492.
 GLINSKI, sac. 290.
 GLINSKI Andreas 308. 361. 365. 380.
 454.
 GNESNEN. ADioec. 32. 141n.
 GNILECEN. paroch. 333.
 GODEBSKI Theophilus, Ep. Pinscen.
 8n. 13. 36. 50. - Ep. Vlodimirien. 8. 9.
 34. 37. 46. 51. 252.
 GOLYSZYCKI 323.
 GONTA Joannes, dux cosaccorum 125n.
 GOSTYNSKI 49. 477 (Gostinski).
 GOSTYNSKI Petrus 446.
 GRAECI 41n. 45. 85. 144. 223n. 504
 (Nomocanon).
 GRANOV, loc. 20.
 GREGORIUS XII, Papa, 18.
 GREGORIUS XIII, Papa, 252.
 GRODEK, loc. 7n. 23 (Grudek). 129.

- 275-277. 280. 343. 353. 464-466. 487.
501.
GRODNO, op. 218. 467. 504. - Monaster.
SS. Basilianarum 505.
GRUTOWSKI Simon 446.
GRZEGORZEWSKI 403.
GRZYMULTOW, pacta a. 1687. 115.
117. 141. 142. 143. 145.
- HADIACZ 141n. (pacta).
HADYK 338. 370 (Hadiik).
HAEBREI 49. 99. 398. 399. cf. Judaei.
HAERETICI 27. 30. 220.
HAJDAMACHI 125n. 188. 190. 206.
HALECKA, Dapifera Rzeczyen. 66.
HALICIA, rex 99. - Episcopatus 143. -
Metropolita 87. 89-91. 198. 345.
HANICKI Joannes 20.
HARASIEWICZ M., scr. 427n.
HINSZCZYNA, praedium 410.
HLUCHOW, monaster. sch. 310n.
HLUSZNEN. monaster. OSBM. 66.
HNIEZDZILOV, loc. 219. 221 (Hniz-
dzijovien.).
HOLOWNIA Antonius, testis 168. 461.
HOMEL, op. 372. 352n.
HORBACKI, OSBM. 57.
HORBACKI Gedeon. Ep. Pinscen. 174.
177. 178. 264. 446.
HORODECZEN. paroch. 454.
HORODISZCZE, loc. 252. 276. 355.
HREBNICKI, Dapifer 67.
HREBNYCKYJ Florianus, Metropolita
4. 6. 73. 75. 76. 86n. 88. 97. 106n.
148. 160. 327. 460. 461. 465.
HRUSZOWA, loc. 465.
HRUSZOWKA, loc. 345. 346 (Hrus-
zenki).
HRYNIEWSKI Epiphanius, OSBM 69.
HUCEWICZ 209n. 216n. 219. 262. 268.
316n. 358. 377n.
HUMAN v. Uman.
HUNGARIA 228. 262. 427n. - Regina
278.
- ICKOWICZ Berko, judaeus 49.
ICONOCLASTAE 28.
IGNATIUS, Patriarcha Constantinop. 28.
ILASZEWICZ, OSBM. 57.
- IMMUNITAS Cleri 90. 92. 101. 102.
INNOCENTIUS III, Papa (1198-1216)
40. 63.
INNOCENTIUS IV, Papa 99n.
ISJDORUS, Metrop. Kiov. 142.
ISKRA 201.
IWASZKIEWICZ Andreas 218. 259.
- JABLONOVIEŃ. monaster. OSBM. 66.
JABLONOWSKI, dux 20. 121.
JACHIMOWICZ Josephus Korwin, Of-
ficialis 218. 253. 354. 262. 263. 364.
403. 454.
JACKOWSKI Germanus, OSBM 73.
JAKUBINSKI Andreas, sac. 73. 104.
JAMPOL, op. 20.
JANCEWICZ, parochus 380.
JANCZYCKI Josaphat, OSBM 257. 492.
JANKOWSKI, commissarius 267.
JANKOWSKI Franciscus 403. 407. 469.
471. 472.
JANKOWSKI Ignatius 407.
JANOVIZ, loc. 31.
JANOW, loc. 31. 119.
JANOWSKI Samuel, OSBM 73.
JAROSIENSKI, fam. 477.
JASTRZEMSKI Petrus, sac. 151. 157.
JASNOHORODKA, loc. 325. 326.
JASSY, op. 335.
JASTLIEWICZ, OSBM. 69.
JASTKIEWICZ M. sac. 406.
JASTWISCEN. monaster. OSBM. 69. 70.
JAWORSKI Melchisedek Znaczkó, He-
gum. non unit. 125. 126. 310n.
JESUITAE 350. 352.
JEZIERZANY, loc. 465.
JOANNES CASIMIRUS, Rex Pol. 141.
142. 410.
JOANNES III Sobieski, Rex Pol. 141.
145. 428. 431.
JODKO Alexander, OSBM. 32. 104. 222.
223. 226.
JOSAPHAT S. (Kuncevyč) Ep. Mart.
48. 113.
JOZEFOWICZ Joannes Georgius 168.
169.
JUDAEI 16. 29. 49. 100. 119. 371. 399.
417. cf. Haebrei
JULIANUS, imperator 484.

- JURAMENTUM 59. - Episcopi 3. 30.
31-33. 35. 46. - Decani 18. 19. 20.
- JURCZANOWICZ, sac. 443.
- JUSTINIANUS, imperator 85.
- KALENDARIUM vetus 64.
- KALITYNSKI Hieronymus, OSBM 281.
- KALNYK, loc. 20.
- KAMENEC, op. - Dioec. 229. - Ep. lat.
372. 374. 376. - Monaster. OSBM. 68.
69.
- KANIOW, loc. 20. 67. 83. 337. 380. -
Abbatia OSBM. 73. 204. 205.
- KANISZEWSKI, sac. 492.
- KARASIN, villa 239.
- KARNICKI 351.
- KARPILOWKA, loc. 239. 332.
- KARPINSKI Hilarion, OSBM 42. 61.
68. 71.
- KARPINSKI Nicodemus, OSBM 40. 42.
53. 54. 61. 67-71.
- KASSUTEN. monaster. OSBM 67.
- KAZIMIROVIEN. monaster. OSBM 66.
- KIOVIA 17. 18n. 42. 131n. 132. 144.
197. 218. 313. 335. 352. 360. 366. -
Abbatia un. 13. 51. 111. 345. 361. -
Ep. lat. K. et Czerniechovien. 8. 21.
22. 23. 127. 186. 249. 309. 316. 317. -
Palatinatus 77. 82-85. 118. 119. 123.
124. 202. 229. 230. 131-133. 160. 169.
186. 187. 189. 192. 194. 218. 242n.
253. 254. 272. 287. 290. 309. 314. 316.
337. 351. 361. 364. 371. 388. 442. 487.
496. 498. v. Metropollita
- KIOZKIRT, loc. 160.
- KISCELNICEN. Conventus Ord. Car-
melit. 51.
- KISZKA Leo, Metropollita (1714-1728).
23. 41n. 150. 160. 461. 504.
- KITAY Andreas Jurijevyč, princeps 131.
132. 133. 160.
- KIVELEN. sac. 279.
- KIZIKOWSKI Alexander, sac. 218. 252.
275. 276. 355.
- KIZIKOWSKI, paroch. Horodeczen. 454.
- KLEMBOWSKI OSBM 67.
- KLINICKI Romanus 20.
- KOBRIN, Archimandria OSBM 68. 70.
104. 492.
- KOCZOROWSKI Antonius 51.
- KODAK, loc. 7.
- KOLHONOWSKI Petrus 20.
- KOLI JIVŠČYNA 310n.
- KOLTUNOWSKI Simon 20. 333.
- KOMARGRODEN. Decan. 20.
- KOMARNICKI, dom. 323.
- KONASZEWICZ Basilius 20.
- KONCEWICZ OSBM 67.
- KONDRATOWICZ, sac. 381. 396.
- KONDRATOWICZ Alexius, OSBM 69.
- KONIACZEWSKI OSBM 69.
- KONYSKYJ Georgius, Ep. non unit.
Mohilov. 111n. 115n. 120n. 140n. 175n.
417n.
- KORICZYCA Magna, loc. 6.
- KORONCZEWSKI Antonius, sac. 32.
207. 251. 261. 263. 267. 273. 275.
446. 477.
- KOROWE, villa 345. 346 (Karow).
- KORSUN, op. 20. 124. 127. 128. 299. 380.
- KOSCIUSZKO Josephus 261. 267.
- KOSCIUSZKO Faustinus 407.
- KOSKOWICZ OSBM 44.
- KOVALYK Volodimirus, OSBM, scr.
41n.
- KOVEL, op. 355. 393.
- KOZICZEN. 91.
- KOZŁOWSKI Gaspar Joannes Nepo-
mucen. 433. 434. 469.
- KRASICKI, Ep. Pinscen. 9.
- KRASINSKI Adamus Stanislaus, Ep.
Camenec. lat. 372. 374. 376.
- KRASNIANEN. 20. 308.
- KREMENEC, monaster. OSBM 281.
- KREMEROWICZ Basilius 20.
- KRYLOS, bona 91.
- KRZYCZEW, loc. 122.
- KRZYUDZIEYSKI, sac. 279.
- KRZYNICKI Matthaeus 20.
- KUDYNOWICZ OSBM. 69.
- KULAKOWSKI OSBM. 210.
- KUPIECZOW, loc. 38. 48. 50. 51. 109.
110. 185. 191. 204. 205. 208. 212. 214.
215. 220. 226. 257. 260. 290. 322. 361.
362. 367. 371. 376. 380-382. 386. 392.
393. 396. 399. 400. 405-408. 424. 425.
430. 432. 433. 435-437. 440. 441. 453.
456. 457. 462. 465. 474. 476. 484. 486.
487. 494.

- LADECKI 218.
 LAPINKIEWICZ OSBM 57. 58. 59.
 LASCARIS Georgius Hieronymus, Ep. 85.
 LASECKI Joannes 20.
 LASZCZEWSKI OSBM 57.
 LATERANUM, concilium 40. 43. 63.
 LATICZOW, loc. 192. 194 (Latyczov).
 LAURENTIUS S. Mart. 324.
 LAVROV, Abbas 204.
 LEBEDZIEJOWSKI Ignatius, OSBM 69.
 LEO I, Papa (440. 461) 28.
 LEO I, Princeps Haliciensis 99.
 LEOPOLIS, civ. 3. 85n. 108. 160. 175. 198. 201. 260. 338. 412. - AEp. lat. 60. - Collegium Armenorum 85n. - Dioec. un. 79. 90. 91. 113. 115. 117. 120. 140. 141n. 142. 143. 148. 227. 228. 229. 263. 264. 338. 439. - Ep. un. 40. 78-80, 87. 89. 90. 108. 109. 140. 167. 172. 174. 176. 179. 181. 186. 197. 201. 204. 206. 227. 236. 272. 273. 277. 278. 282. 285. 290. 295. 296. 300. 313. 338. 352n. 354. 355. 361. 370. 388. 392. 443. 487.
 LEPKOVSKYJ Josephus, AEp. Smolensc. 264n. 268n. 352n.
 LERCARI Nicolaus, Secret. Congr. Prop. F. 5n.
 LESZCZYNA, Abbatia, OSBM 69. 73. 443.
 LEWINSKI Stephanus, sac. 198. 277.
 LIBRI 30. - in lingua sclavonica 25. - prohibiti 18.
 LIDA, loc. 49.
 LINCEVSKYJ Gervasius, Ep. Perejaslav. sch. 136n. 310n.
 LIPLICEN. capell. 8.
 LIPNICKI Innocentius, OSBM 77. 257n.
 LISIANIEWICZ, sac. 42.
 LISANSKI Heraclius, OSBM 39-42. 44. 55. 59. 61. 62. 66. 68. 69. 71. 74. - nom. AEp. Smolensc. 104.
 LISIANEN. 166 (tractus)
 LITHUANIA, Magnus Ducatus Lithuaniae 40-43, 49. 56. 68. 92. 99. 107. 111. 117. 143. 145. 150. 159. 167. 169. 170. 172-175. 188. 222. 226-228. 231. 232. 235. 237. 239. 242. 250. 252. 259. 277. 280. 285. 327. 328. 331. 340. 345. 352. 359. 378. 401. 409. 413. 420. 424. 426. 430. 435. 437. 443. 444. 446. 449. 453. 456. 465. 468. 469. 496. - cf. Basiliani.
 LITTA Laurentius 324n.
 LIVONIA, prov. 111 (Ep.). 143. 492.
 LOBACZOVIEN. 331.
 LOJACEN. 49.
 LOKACEN. 218.
 LOSINSKI Joannes, sac. 368.
 LUBAR, op. 20. 395. 443.
 LUBAWICKI 497.
 LUBIENIECKI OSBM 69. 133.
 LUBIENSKI Vladislaus, AEp. Gnesn. 141n.
 LUBINSKI, sac. 203. 251. 260. 262. 275. 285. 286. 290. 324. 326. 442.
 LUBLIN, op. 7. 57. 88. 258. 422.
 LUBNI, monaster. sch. 310n.
 LUBOMIRSKI 121.
 LUBOWICZ Nicolaus 367.
 LUCEORIA, LUCK, op. 37. 132. 414. 420. 510. - Dioec. un. 3n. 85n. 115. 120. 140. 141n. 142. 143. 300. 379. 507. - Ep. lat. 31. 32. 52. - Ep. un. 31. 87. 110. 128n. 140. 290. 319. 360. 420. 477. - Monasterium monialium OSBM 420.
 LUKIANOWICZ OSBM 57.
 LUNIEWSKI 302.
 LUTHER 41.
 LUTERANI 485.
 LWOWICZ, par. 380.
 MACEDONIUS 27.
 MACEWICZ 434. 471.
 MAKOWSKI OSBM 68.
 MALACHOWSKI 492.
 MALASZKOW, loc. 190.
 MALEWICZ, sac. 416.
 MALINOWSKI Josephus, sac. 172. 190. 259. 270. 273. 275. 280.
 MALSKI OSBM. 57.
 MANKOWSKI 119.
 MAREFOSCHI Marius, Prael. 88n. 90n. 94n. 112n.
 MARIA THERESIA, imperatrix 266n.

- MARKIEWICZ 218.
 MASSALSKI Ignatius, Ep. Vilnen. 221.
 MATKOWSKI OSBM 57.
 MATTEI, Card. Aloysius, (Matheus, Mathei) 34. 35. 36.
 MAXYMOWICZ Joannes 20.
 MAZALOVIIEN. monaster. monialium OSBM. 69.
 MERCURI 210. 418.
 MERECEN. par. 168. 169.
 METROPOLITA Kioviensis et totius Russiae un. (Metropolia) fere in unaquaque pagina 3-9. 11-14. 17. 18. 24. 25. 39n. 44. 47. 56. 64. 65. 71. 74-81. 84-86. 96. 99. 100. 101. 106. 110. 124. 125. 130n. 133. 135-137. 140. 144. 146. 149. 161-165. 173. 174. 176-180. 186-188. 190. 191. 193. 196. 197. 200. 202. 206. 208. 216-219. 227. 229. 231-243. 249-252. 257. 259. 260. 262. 265. 268. 271. 272. 276. 282. 287. 293. 301. 307-309. 311. 322. 330. 333. 336. 337. 339. 340. 342. 344-347. 352. 254. 257-459. 361. 363. 366. 381. 382. 386-388. 391. 392. 400. 405-407. 431. 434. 440-442. 445. 447-450. 453. 455. 460-562. 464-466. 475-478. 483. 489. 490-492. 495-498. 500-503. - Bona Mensae a pag. 78-492. - v. Cathedraticum - Coadiutor M. fere in unaquaque pagina.
 MICHALCZEWSKI, sac. 274-276. 279. 286. 412.
 MIELEC, Abbatia OSBM 87. 113.
 MIHUNIEWICZ Polycarpus OSBM 69.
 MILCZYNSKI, Castellanus 49.
 MILENTICZE, villa 49.
 MINIJKY, loc. 302. 396 (Miniski). 441. 442.
 MINSK, op. 88. 159. 171-175. 177. 178. 365. 403. - Archimandria OSBM 45. 69. 129. 133. - Monaster. monialium OSBM. 265. 505. - Palatinatus 250. 433.
 MIODASZEWSKI 477.
 MIREN. monaster. OSBM. 70.
 MIROCK, villa 461.
 MLODOWSKYJ Antonius Strus, Ep. Coad. Pinscen., Volodimirien. 85n. 87n. 92n. 97. 100. 101. 104. 105n. 114n. 117n. 140. 152. 156. 167. 180. 184. 190. 197. 198. 206-208. 211. 217. 231-234 (Adam Ant. Ml.). 235-237. 239. 240. 244. 248. 249-251. 252. 257. 262. 265. 270. 296. 297. 321n. 345. 346. 370. 375. 382. 386. 393. 394. 397. 401. 402. 404. 408. 412. 416. 424. 425. 430. 433. 434. 458n. 459. 470. 478. 479. 495. 497. 501. 502.
 MLODZIEJOWSKI Andreas, Ep. Premisl. lat. 135n. 161n. 187n. 188n. 189.
 MNISZEK Georgius Vandalinus, capit. 6. 8. 21. 22.
 MODLISZEWSKI, sac. 218. 381.
 MODZELEWSKI Antonius 150. 218. 250. 365.
 MOHILOV, op. 99. 110. 111. 120. - Ep. non unit. 110. 111. 115. 117. 120-122. 175. 259. 417.
 MOKRZYCKI Basilius 51. 128. 175. 176. 262. 290.
 MOKRZYCKI Georgius, Decan. 20. 179. 186 (Gregorius). 188. 197. 198. 298.
 MOKRZYCKI Gregorius Nyssenus 316n. 377n. 401. 403.
 MOKRZYCKI Joannes 56. 58. 60. 175. 176. 179. 258. 274. 290.
 MOLDAVIA 121. 125.
 MOLERZYCKI, sac. 260.
 MONACHI non uniti (« czercy ») 123. 125. 126. 127.
 MONASTERIA OSBM. - v. Basiliani.
 MONOTHELITAE 28.
 MORDUCHOWICZ Leyba, judaeus 49.
 MOROCHOVIEN. monaster. OSBM. 68.
 MOSCHOWICZ Boniedwin, judaeus 49.
 MOSCHI (Moscovitae, Rossiani, Russi) 17. 69. 82. 115. 116. 121. 143. 165. 167. 170. 172. 173. 188. 192. 194. 206. 212. 227. 229. 242. 254. 260. 264. 270. 272. 281. 282. 285. 289. 291. 293. 297. 298. 308. 309. 315. 316. 318. 326. 331. 348. 351. 480. 485. 488.
 MOSCOVIA (Imperium Moscoviticum, Regnum Russiae, Rossia, Russia) 18. 41. 42. 44. 78. 96. 103. 110. 117. 131n. 140n. 141. 170. 227n. 228. 268. 295. 299. 307n. 308. 331. 340. 352n. 504. - Aula Petropolitana 254. 295. 338. -

- Curia P. 316. 364. - Czar Moscoviae 330n. - Imperatrix Russiae (Catharina II.) 115. 170. 227. 228. 290. 326. 337. 338. 347.
- MOSZENEN. Decanus 323. - 20 (Moszenen). 124. 125-127. 135. 299.
- MOTRONEN. monasterium sch. 125 (Motronicen.). 126. 127. 310n.
- MOYSES, sac. 317.
- MOZYR, op. 264, 300.
- MSCISLAW, op. 67. - Monaster. OSBM. 67. 69.
- MYSZOW, loc. 200.
- MYTNICE, loc. 7.
- NAROLSKI Maximilianus, OSBM 42.
- NEO-HUNGARIA = Galizia 262.
- NESTORIUS 27.
- NESVISCIEŃ. loc. 169.
- NEWELSKI Franciscus 479.
- NICEA, concilium 27. 28.
- NIDEROWICZ 127.
- NIEMIEROV (Nemyriv) 20.
- NIESUCHOV 356 (eccl. S. Michaelis).
- NIEWIADOMSKI Andreas 32.
- NOMOCANON Graecus 467. 504.
- NOVHOROD, AEp. sch. 41n.
- NOVOGROD, op. 49. 88. 131. - Congressus Ep. (1761) 327. - Palatinatus 169. 235.
- NOVOGRODEK, 467. 504. - Monaster. monialium OSBM 505.
- NOVOSIELECKI, Abbas OSBM 492.
- NOVOSIELSKI Augustinus, OSBM 68, 71. 74. 104.
- NUNDINAE 16.
- NUNTIUS Apostolicus - v. Polonia, Vienna.
- OBAROW, loc. 23. 464. 465. 466.
- OFFICIALES eccl. 235. 236. 238. - Of. saeculares 315.
- OGINSKI 118. 456.
- OLEA Sacra 405. 406. 408. 440. 442. 464.
- OLESKIEWICZ OSBM. 70.
- OSLZANA, loc. 127.
- OLYKA, loc. 85n. 200.
- ONUPHRIEN. monaster. OSBM. (ad Polock) 67.
- ONYSZKIEWICZ Ambrosius, OSBM. 71.
- OPACKI OSBM. 69.
- ORANSKI 49. 50.
- ORDO Carmelitarum ant. observ. 51.
- ORSINI Fabritius 505.
- ORSZA, loc. 51.
- ORTYNSKI, commisar. 124.
- ORYSZCZYC OSBM 57.
- ORYSZKIEWICZ Ambrosius, OSBM 42.
- OSSOLINSKI, fam. 398.
- OSSOUKA, loc. 8.
- OSTROG, op. 225.
- OSTROGSKYJ Constantinus, dux 225.
- OSTROZANEN. 32.
- OZIEBŁOWSKI 261.
- OWRUCZ 20. 349. 381. - Abbatia OSBM 77. 104. 257. 492.
- PALATINATUS-v. Belz, Braclaw, Brest, Czernichovia, Kiof, Minsk, Novogrod, Podolia, Russia, Troky, Vilno.
- PANOWSKI OSBM 44. 70.
- PAPA, Summus Pontifex, Sua Sanctitas 3-5. 9. 12. 29. 30. 87. 94. 96. 106. 115. 116. 118. 173. 175. 212-215. 219. 220. 222. 231. 232. 235-237. 250. 255. 260. 271. 274. 276. 277. 312. 322. 339. 369. 372. 373. 374. 375. 452. 463. 494. 505. - Breve 99. 101n. 171. 174. 255. 362. 427. 431. 380. - Bulla 5. 9. 12n. 18. 31. 32. 33. 75. 76. 89. 220. 260. 284n. 352. 354. 467. 504. 506.
- PASLAVIEN. monaster. OSBM 67.
- PASLAWSKI Daniel 218.
- PASZKIEWICZ 218.
- PASZKIEWICZ Stephanus 218.
- PASZKOWSKI Daniel 168. 230. 274. 275. 276. 283.
- PATRES SCHOLARUM PIARUM 64.
- PATRICIUS 34.
- PATRYLO Isidorus, OSBM, scr. 9n.
- PAULUS V, Papa 104.
- PAVOLOCZEN. 20. 326. 335.
- PEREHINSKO, villa 90.
- PEREJASLAV, op. 136. 310n. 337. 442. 443. - Ep. sch. 121. 227. 228. 242. 253. 254. 260. 273. 290. 295. 299. 300. 310n. 317. 323. 364. 371. 443.

- PERGEN, gubern. Leopold. 260. 262. 265. 277. 338. 350. 352. 368.
- PEREMYŠL, Premisla, op. - Dioec. un. 13n. 104. 115. 117. 120. 140. 141n. 142. 143. 227. 228. - Ep. 1. 161. 163. - Ep. un. 82n. 109. 227. 345n. 352n.
- PETROPOLIS (Petroburg, Petersburg) 223n. 253. 254. 258. 285. 290. 330. 338. 364.
- PETRUS I, czar 41n. 330n.
- PETRUS II, czar 41.
- PHOTIUS, Patriarcha 28.
- PIATY, villa 345. 346.
- PIATYHORA, loc. 262. 331.
- PIERZCHALSKA, monialis OSBM 69.
- PINSK, op. Coadiutor 85. 87. 92. 321. - Dioec. 9. - Ep. un. 8n. 9-11. 34-38. 47. 48. 52. 174. 179. 264.
- PIOTROWICZ, can. 492.
- PISARKO Basilius 20.
- PIUS VI, Papa 450n.
- PIWNICKI Joannes 356.
- PLATO 419.
- PLEBANEN. Ep. 211. - v. Stefanini.
- PŁOSKOROVICA, loc. 446.
- POBITOWSKI Raphael 202.
- POCALOJEWSKI, sac. 175. 220. 454.
- POCIEY Hipatius, Ep. 42. 128. 197.
- POCZAJOV, monaster. OSBM 83n. 408.
- PODKOWSKI Antonius Josephus 32.
- PODLACHIA, prov. 49. - Palatinus 398. 399.
- PODOLIA, prov. - Palatinatus 227. 228. 236. 242.
- POHREBY, loc. 7. 20.
- POLESIA, prov. 117. 166. 172. 202. 207. 218. 259. 280. 300.
- POLETYLO Basilius, OSBM 69.
- POLOCK, op. - Abbatia OSBM 48. 70. 321. - ADioec. 120. 227. 228. - AEp. un. 6. 110. 114. 120. 121. 123. 140. 227. 295. 316. 321. - Dapifer 67.
- POLONNA, op. 166. 192. 194. 200. 253. 255. 286. 289. 364.
- POLONI 6-8. 21-23. 52. 101. 102. 117. 131. 141. 143. 158. 161. 163. 167. 179. 187-189. 203. 212. 215. 251. 257. 290. 316. 323. 331. 360. 415.
- POLONIA (Regnum, Republica) 9. 12. 17. 24. 25. 42. 43. 72. 78-80. 96-101. 104. 107. 117. 128. 136n. 138-142. 144. 145. 149-151. 157. 161. 167. 196. 199. 204. 218. 223. 224. 228. 231. 237. 241. 243. 249. 253. 262. 281. 299. 307n. 311. 321. 331. 336. 345. 352n. 357. 363. 365. 377. 400. 401. 415. 422. 426. 444. 445. 447n. 449. 466. 475. 481. 482. 489. 493. 495. 497. - Aula 210. 212. 479. 481. - Comitata Regni 23. 95. 98. 100. 102. 110. 114. 130-132. 140. 141. 144. 167-169. 249. 268. 278. 316. 336. 338. 377. 428. 431. - Confoederati 138. 166. 194. 200. 403. 422. 427. 428. 430-432. 446. 449. 451. 481. 490. 495. 499. 500. 503. - Episcopi 88. 99. 101. 398. - v. Alba Russia, Brest, Cracovia, Czernichovia, Gniesno, Kioy, Leopold, Livonia, Luceoria, Posnania, Premysl, Vilno. - Magnates 59. 66. 79. 167. 168. 218. 249. 250. 290. 291. 314. 357. 475. 478. 495. - Nuntius Ap. 9. 10. 12. 20n. 34. 35. 51. 53. 54. 58n. 61. 66. 73. 79. 80. 89. 90. 92. 95n. 99. 101. 104-108n. 116. 118n. 123n. 128-130n. 133n. 138. 139. 143. 151. 157. 165n. 167. 178. 180n. 185. 191n. 195. 197. 199. 203n. 206n. 211-214. 216n. 224. 227. 228. 231-234. 237-241. 243. 249. 251. 254n. 256n. 260n. 262. 264n. 266. 267. 269. 271. 272. 274. 276. 280. 296. 301. 302. 307n. 316-318. 322. 323. 325. 333. 335-338. 341-343. 345. 351. 365. 366. 370. 372. 373. 401-403. 415-418. 420. 422. 424. 426. 428. 433. 444. 446. 448. 449. 453. 460. 462. 466. 472. 476-478. 481-483. 485. 490. 491. 493. 505-507. - v. Palatinatus. - Rex 4. 5. 8. 9. 13. 21. 73. 79. 97. 99. 101-103. 106. 113-115. 117. 118. 120. 122. 123. 128. 129. 132. 140. 141. 143. 144. 158. 163-165. 189. 197. 205. 212-214. 216. 217. 223. 224. 231. 234. 236. 237. 241-243. 253. 285. 291. 308. 311. 316. 336. 363. 364. 410. 411. 415. 426. 427. 460. 462. 470. 475. 478. 487. 489. 495. 503. 507. - Senatores, Senatus. 99. 100-102. 145. 229. 503.
- POLUPANSCZYŻNA, praed. 410.
- POMORZKANT Joannes, sac. 26. 27.

- PONIATOWSKI Stanislaus, Rex Poloniae 460.
- PONINSKI, princeps 499.
- POPOVICEN. monaster. OSBM 58. 59 (Popowczen.).
- PORICZE, loc. 201. 465 (Poriecios). 466
- PORPLISCIJ 219. 221.
- POSNAN 121 (palatinus). 161n. (AEp.).
- POTOCKI, princ. 460.
- POTOCKI Franc. Salesius, dom. 77. 118. 130n. 229. 230.
- POTOCKI Nicolaus 67. 83n.
- PRESBYTERI un. incarcerati 266. 269. 270. 273. 278. 279. 281. 282. 286. 288. 289. 291. 292. 295-301. - Pr. vagi 18. 19. 25.
- PROCEWICZ OSBM 44.
- PROFESSIO Fidei 15. 27. 32. 35.
- PROKOPOWICZ Theophanes 41.
- PROZANEN. 218.
- PRUSINSKI Joannes 20.
- PRUSSIA 227n. 228. 447n.
- PRYLUKA, op. 42.
- PRYMOWICZ Michaël, offic. 175. 176. 203. 207. 216. 251. 259. 260. 262. 275. 285. 286. 290. 302. 318. 322. 325. 332. 333-335. 442. 477.
- PRZYLEPY, loc. 176.
- PUSTYNEN. monaster. OSBM 67. 69.
- PUZINA Athanasius, Ep. Luceorien. 414. 420 (A. de Kozielsko Puzyna).
- RADOMISLIA, Radomysl, op. 14. 20. 22. 23. 37. 56. 74. 78. 83. 84. 122. 126. 127. 129. 160. 175. 192-195. 198. 199. 241. 278. 287. 288. 291. 292. 295. 297-302. 308. 309. 311. 314-316. 318. 323. 327. 330-332. 334. 335. 337. 341. 342. 352. 361. 368. 442. 453. 461.
- RADZIEJOWSKI Petrus 20.
- RADZIMINSKI 49. 477.
- RADZIWILL, princ. 113. 169.
- RADZIWILL Carolus, Palatinus 91.
- RADZIWILSKI Simeon 127.
- RAHOZA Michaël, Metropolita (1588-1599) 421. 427. 431.
- RASZKOVIEN. 20.
- RATOMSKI Antonius 397. 407. 469. 471. 472.
- RATOMSKI Martinus 51.
- RAVA, op. 20 (palatinus).
- RAYTAROWSKI 49.
- REGIOPOLIS, loc. 261.
- REPININ 171.
- REZWOROWSKI 380.
- RITUALE Graecorum 45.
- ROCCATANI, agens 51. 88.
- ROGAZHEN. bona 91.
- ROHACZEW 272. 352n. (Rohaczow).
- ROKITNIA, loc. 367.
- ROKITNICA, villa 345. 346. 201. 263.
- ROMA (Urbs) 6. 9. 31. 41n. 45. 85n. 92. 113n. 129. 151. 171. 172. 181. 182. 189. 197. 203. 208. 212. 216-218. 223n. 225. 250. 256. 266. 281. 366. 368. 370. 377. 419. 454. 457. 476. 485.
- ROSCISZEWSKI 492.
- ROSOCH, loc. 160.
- ROSOSZEN. 331.
- ROSTOCKYJ Theodosius, OSBM 223. 225. 226. 492 (nom. Abbas Derman.).
- ROTOMSKI 200.
- ROVATASSI 34.
- ROXOLANI 71. 79. 107. 227. 228. 474. 484.
- ROZANKA, bona 42.
- ROZYSZCZE, villa 360. 370. 507-509.
- RUBRA RUSSIA 227. 228.
- RUDNICKYJ Sylvester, Ep. Luceorien. 73. 104. 140. 290n. 446. 497. 507. 508.
- RUMIANCOW 192. 194. 281. 289. 290. 295. 314. 335. 340. 341. 342. 351.
- RUSSIA (Ucraina) 4-7. 11. 12. 72. 78. 85. 95. 99. 102. 112. 125. 140. 142. 144. 161. 228. 293. 421. 308. - Exarcha R. - v. Ep. Luceoriensis - v. Metropolita totius Russiae - Palatinus 262n.
- RUTHENI 72. 74. 88. 99. 101. 103. 104. 127. 133. 140. 144. 172. 173. 427. 431. 459. 504. 506. - Ecclesia Ruthena 72. 74. 82. 87. 108. 116. 117. 120. 121. 124. 128n. 139. 144. 161. 278.
- RUTSKYJ Josephus, Metropolita (1613-1637) 225. 467. 504.
- RUZYNEN. 380 (parochus).
- RYDA, villa 49.
- RYLLO Maximilianus, Ep. Chelmen. (1759-1785), Ep. Premisl. (1785-1793)

- 13n. 73. 77. 82n. 104. 130n. 225n.
290n. 345. 381. 442. 497.
RZECZYCE, loc. 66. 169. 300. 352.
- SABADINUS 200. 201.
- SACERDOTES captivi 307-311. 314.
316. 317. 325. 331. 332. 337. 338. 340.
341. 342. 347. 348. 350. 351, 361. 371.
395. 442. - cf. Presbyteri - obligationes
24-26.
- SACRAMENTA: Baptismus 29. 326. -
Confirmatio 29. - Matrimonium 16. 17.
19. 29.
- SAMBORECKI Paulus, sac. 4.
- SAMOGITIA, prov. 111. 120. 122.
- SANCTAE CRUCIS, monasterium OSBM
(Volinia) 3. 8. 40. 41. 51. 104. 223.
- SANDOMIRIA, op. 465.
- SANGUSZKO, capitaneus 121.
- SANGUSZKO Janusius, princeps 40.
222. 226. 331. 352.
- SANGUSZKOWA, ducissa 331.
- SAWICKI, sac. 275. 276. 219. 280. 286.
297. 300. 468. 477.
- SAWICZ OSBM 70.
- SCHISMA 5. 30. 42. 44. 82. 103. 110.
111. 115. 126. 166. 192-195. 219. 259.
285. 286. 339. 357. 381. 472. - v.
Disunio.
- SCHISMATICI 25. 30. 41. 42. 45. 63.
67. 72. 73. 79. 88. 90. 99. 100. 101.
103. 104. 111. 117. 120. 121. 131. 175.
217. 242. 262. 278. 281. 285. 286. 294.
299. 336. 337. 487. - v. Disuniti.
- SCHOLAE Cathedrales 64.
- SELUSTE, villa 49.
- SEDES Apostolica 4. 5. 9. 10. 12-14.
22-24. 35. 41. 44. 45. 53. 56. 70. 72-
75. 79. 81. 91. 93. 103. 104. 107. 117.
128. 130. 132. 145. 149. 152. 161. 168.
169. 177. 179. 180. 181. 185-187. 189.
191. 193. 197. 200. 211. 217-219. 226.
234. 235. 241. 244. 250. 260. 272. 281-
283. 286. 293. 294.
- SEMYROW, villa 50.
- SEREJEN. loc. 168-170. 249.
- SERRA Nicolaus, Nunt. Ap. 9n. 10n.
20n. 37n. 243n.
- SIEDLECKI Josaphat, OSBM 104.
- SIEKLUCKI Antonius 49.
- SIELEC, loc. 492.
- SIEMINSKI OSBM 69. 70 (Siemiski).
- SIENIOW, loc. 453. 464-466. 487.
- SIENKIEWICZ Hippolitus, OSBM 69.
- SIERAKOWSKI Venceslaus, AEp. 60n.
- SIGISMUNDUS III, Rex Polon. 427.
431. 72. 99. 101. 102.
- SIGISMUNDUS AUGUSTUS, Rex Pol.
14. 228. 410. 420. 467. 504.
- SILVA Paulus Aloisius, auditor 80. 98.
(Sylva).
- SIMNEN. 168. 169.
- SIROCINEN. monaster. OSBM 67.
- SKAPSKI, sac. 201 (Skompski) 417.
- SKOCZYNSKI Romanus, sac. 218.
- SKULSKI Josephus 20. 218. 441. 443.
- SLOMINSKI 114. 121.
- SLONCZEWSKI Paulus, Ord. Carmelit.
ant. observantiae 51.
- SLUBKA OSBM 69.
- SLOBYCHOWA, villa 239.
- SLUCK, op. 99. 100. 199.
- SMILANEN, loc. 166. 323.
- SMOGORZEWSKYJ Jason, Ep. Vitepsc.
73. - AEp. Polocen. 100. 101. 114.
120n. 140. 258. 265. 278. 295n. 308n. -
Metropolita 9n. 13n. 34. 242n.
- SMOLENSK, op. - AEp. un. 69. 92. 104.
227. 252. 264. 268. 272. 340. 350. 352.
353. 493. - Dioec. 9. 39n. 227. 228. 252.
- SOCIETAS JESU 50. 52. 56. 64. 160.
v. Jesuitae.
- SOLOVIJ Meletius, OSBM, scr. 406n.
- SOLTANOVIIEN. 363 (parochus).
- SOLTYK Cajetanus, Ep. 1. Kiov. 8.
22n. 186n.
- SOROKA Cornelius OSBM 129. 133.
- SORZYZAWKA, villa 286.
- SOSNICKI 160.
- SOSNOWSKI 218.
- SOSNOWSKI, Suffrag. Livoniae 492.
- SPENDOWSKI OSBM 204. 205.
- SPINELLI, Card. Josephus 14.
- SPIRADOWICZ Josephus, OSBM 68.
- STANISLAUS AUGUSTUS Poniatowski,
rex Polon. (1764-1796) 92n. 100n. 107.
161n. 163.
- STAROZYNSKI Gregorius 20. 323.

- STAVISCEN., paroec. 131-133.
 STEBELSKI Ignatius, OSBM, scr. 257n.
 STECKI 131-133. 202. 461.
 STECKYJ Cyprianus, Ep. Luceorien. 507
 STEFANINI, Abbas 88. 89. 94. 178. 182.
 210. 211. 212.
 STEMPKOWSKI, comm. 291. 360.
 STETKIEWICZ Leo, sac. 349.
 STOPCZANSKI Joannes 20. 260.
 STOPCZANSKI Michał 80. 85. 262. 331.
 STROCKI Joannes 20.
 STRUTYNSKI Artemius 20.
 STRZELECKI Petrus, clericus 80.
 SUPRASL, Abbatia OSBM 150. 258. 259.
 327. 439.
 SUSDALENSIS, princeps 131n.
 SUSZCZEWSKI, sac. 279.
 SUSZCZYNSKI 456.
 SUSZYCKI Thomas Turczynowicz 80.
 218.
 SWIECICKI Basilius, sac. 368.
 SVIDRYGAYLO Boleslaus, dux Lithuaniae 144. 297. 300. 409. 410. 413. 420.
 SYNODUS dioecesana 379. 380. - S. provincialis 92. 95. 105-110. v. Zamosc
 SZAKALOWSKI Laurentius 20.
 SZAMOSKI Josephus 446.
 SZAMRAY, cosacus 252.
 SZATALOWICZ OSBM 70.
 SZCZERBINA, cosacus 252.
 SZCZUROWSKI Timotheus, OSBM 300.
 452. 468. 471. 508.
 SZELPACHAVIEN. 119 (parochus)
 SZEPTYCE, pag. 3.
 SZEPTYCKYJ Athanasius, OSBM, Abbas 73. - Metropolita 3. 66. 77. 79. 88. 90. 91. 160. 461.
 SZEPTYCKYJ Eustachius, OSBM, nom. Abbas Lavrov. 205.
 SZEPTYCKYJ Leo Ludovicus, Ep. Leop. 73. 78. 79. 89-91. 100. 101. 104. 109n. 113n. 140. 145. 149. 167. 176. 180. 184. 197. 199. 204. 211. 231-234. 236. 237. 239-241. 248. 249. 251. 259n. 262. 271. 313n. 345. 371. 388. 392. 394. 402. 417. 433. 434. 464. 470. 495. 497. 501. v. Coad. Metropol.
 SZPANOWSKI Cornelius 20.
 SZUMLANSKYJ Onuphrius, Ep. Premisl. 73.
 SZUYSKI, princeps 326.
 SZYMANSKI Paulus, scr. 113n.
 SZYPROWSKI 156.
 SZYRKOW, general. 281. 282. 286. 288. 289. 291. 292. 295. 297. 298. 300. 307-311. 323. 340. 347. 350. 351. 380. 395. 442.
 SZYSZKIEWICZ Moyses 93.
 TADULINEN- monaster. OSBM. (fund. Tadeusz Oginski a. 1740) 66. 69.
 TAHACZYNA, loc. 406.
 TARNAWSKI 323.
 TARNOWSKI Dionysius, OSBM 69.
 TARTAKOW, pag. 202.
 TELEPIN, loc. 122. 127.
 TERLECKYJ Cyrillus, Ep. Luceor. 128n.
 TETIJOVIEN. 20. 262. 299. 331. 332.
 THEATINI 85n.
 THEODOSIA 85 (AEp.). - v. Lascaris.
 TOMILLOWICZ Antonius, AEp. Smolensc. 69.
 TOROKANIE, monaster. OSBM 42. 44. 67.
 TOWIANSKI Felix, OFM Conv., Ep. t. Carpassien. 220. 221.
 TRACTATUS Olivensis 143.
 TRANSITUS ad ritum lat. 72. 73. 103. 114. 220. 398. - ad schisma 41. 115. 117. 126. 136. 161. 162. 166. 173. 192. 219. 221. 227. 228. 270. 286. 287. 290. - scismaticorum ad unionem 115. 135.
 TRIDENTUM, Concilium 29. 30. 65. 130.
 TROJANOW, loc. 290.
 TROKY, monaster. OSBM 169. - Palatinatus 169. 250.
 TRULEWICZ Bened., OSBM 69.
 TRYPA 48.
 TRYSZYN, villa 177. 190. 191. 194. 261. 267.
 TUCZAPSKYJ Macarius, Ep. Leop. 228.
 TUPALSKI Josephus 218.
 TURZANSKI Ambrosius, OSBM 112.
 TURCZYNOWICZ Suszycki Thomas 80. 218.
 TURKIEWICZ Andreas 27.

- TURKIEWICZ Georgius, sac. 379. 404.
406. 412. 417. 446. 477.
- TUROV, Ep. 97. 105. 116. 174. 321. -
v. Młodowski A.
- TURZYSK, loc. 398. 406.
- UCRAINA 82n. 108. 109. 122. 125.
130n. 135. 136. 159. 161. 162. 165. 173.
175. 202. 224. 232. 236. 239. 242. 243.
249. 255. 258. 262n. 266. 268. 269-271.
273-276. 278. 283. 285. 290. 307n. 310.
318n. 319. 322. 333. 336. 337. 342. 343.
355. 371. 380. 381. 424. 425. 430. 435.
436. 442n. 465. 509n.
- UDZIESK, loc. 190.
- ULINSKI Ignatius, OSBM 73. 104.
- ULINSKI Nicanor, OSBM 69.
- UMAN, op. 20. 77. 82. 84. 118. 122.
130n. 188. 255. 260. 262. 286. 299. 323.
331. 509n. - ecclesiae: S. Michaëlis 118.
119. - S. Nicolai 118. - Obdormitionis
BVM 118. - monaster. OSBM 118.
119. 122.
- UNIN, villa 461.
- UNIO 4. 12. 13. 24. 42. 45. 72. 79. 88.
97. 99. 101-104. 106-108. 110-112. 115-
118. 120. 121. 124-126. 128n. 136-142.
162. 166. 169. 175. 178. 218-221. 224.
226. 229. 249. 253. 260. 262. 264. 269.
270. 286. 287. 298. 310. 314. 317. 329.
336. 364. 442. 443. 462. 472. 484. 487. -
martyres pro Unione 166. 227. 229.
242. 253-255. 258. 262. 266. 269. 278. -
v. presbyteri, sacerdotes.
- UNIOW, Abbatia OSBM 112.
- UNITI 100. 179. 217. 242. 253. 254. 258.
262. 269. 285. 289. 290. 308. 309. 310.
314. 326. 329. 337.
- URBANOWSKI Paulus 335. 218.
- URBANUS VIII, Papa 85. 103n.
- USTOWSKI Ambrosius 20.
- USTOWSKI Antonius 218.
- USZACZ, monaster. OSBM 70.
- VALACHI 82. 121. 125. 126.
- VALACHIA 78. 96.
- VALAVA 127 (parochus)
- VALENS, imperat. 484.
- VARCHIA, loc. 335.
- VARSAVIA, civ. 8. 47. 54. 59. 81. 92.
95. 100. 105. 114. 115. 117. 120. 121.
130. 139-141. 149. 151. 155. 157. 159.
163. 165. 167-169. 176. 179. 189. 190.
198. 208. 210. 212-215. 223. 224. 230.
234. 241. 243. 248. 249. 258. 259. 261.
263. 267. 268. 271. 272. 275-277. 283.
290. 301. 302. 308. 316. 327. 328. 334.
338. 339. 351. 354. 360. 361. 377. 382.
388. 392. 400. 401. 416. 418. 420. 422.
443. 447. 460. 468. 470. 479. 385. 489.
497.
- VICECOMES - v. Visconti 350. 352. 363.
- VIENNA, civ. 362. - Nuntius Ap. 350.
352. 363. 368-370.
- VILLANOVA, loc. 54.
- VILNO, civ. 56. 57. 88. 110. 150. 159.
169. 218. 265. 268. 359. 396. - pont.
Collegium 56. 176. 262. 258. 259. 265.
268. 272. 274. 343. - Palatinatus 91.
235. - Ep. 1. 110. 111. 169. 219. 221. -
Monaster. OSBM 68.
- VINDOBONA 113n. - v. Vienna.
- VISCONTI, Eugenius, Nuntius Pol. 53n.
54n. 56n. 79. 84n. 93n. 97. 118n. 123n.
129n. 167n. 284.
- VITEBSK, op. 144. - Monaster. OSBM
57. 68. 69.
- VLADIMIRIA (Volodymyr) op. 10. 11.
13. 21. 22. 26. 33. 35. 37. 42. 46-50.
52. 54-56. 60. 71. 77. 84. 86. 88. 93-
95. 104. 105. 107. 100. 112. 113. 115.
116. 118. 121-124. 129-135. 137. 138.
158-161. 179. 181. 183. 187. 200-204.
207. 209. 211. 218. 220. 222. 223. 225.
227. 229. 241. 258. 259. 262. 264-267.
269. 272. 274. 279. 280. 290. 308. 319.
320. 322. 328. 329. 335. 339. 343. 344.
346. 350. 351. 355. 356. 358. 363. 365.
366. 370. 371. 373. 393. 411. 412. 414.
419. 420. 423. 433. 434. 357. 458. 459.
464. 467. 498. 501. 503. 504. - Dioec.
un. 8-11. 13. 22. 24. 31-33. 35. 42. 48.
75. 76. 89. 96-98. 152. 153. 156. 161-
163. 167. 168. 178. 191. 194. 196. 197.
206. 216-218. 226. 232. 236. 240. 242.
244. 247. 251. 252. 257. 293. 344. 345.
357. 361. 378. 382. 383. 394. 402. 408. -

- ecclesiae: cathedralis 81. 108. 208. 275. 279. - S. Eliae 276... - S. Procopii 274. 276. 279. - Ep. un. 8. 9. 11. 27. 30. 33. 42. 46. 51. 60. 69. 78. 85n. 96. 98. 114. 117. 128. 140. 197. 321. 339. 345. 357. 361. 376. 379. 380. - Coadiutor Ep.: passim... - Basiliani: Collegium OSBM 3. 49. 57. 58. 64. - Residentia ad Cathedraliam 40. 58. 64. - Monasterium monialium OSBM ad eccl. S. Eliae 220. 273. 276. 297. 300. 359. 409. 413. 420 (Basilianissarum) 441. 451. 452. 454. 455. 457. 458. 466-468. 471. 486. 492. 493. 503. 505. 509. - Spolium Vlad. 8n. 11. 34. 37. 46. 47-51.
- VLADIMIRUS Olgenides 144.
- VLADISLAUS IV, Jagellonides, Rex Pol. 142. 144. - V. Jagiellowicz, rex 427. 431.
- VLODIMIRUS, Dux Russiae 99.
- VOLHYNIA, prov. 3n. 50. 56. 166. 236. 278. 285. 301. 328. 398. 409. 420. 424. 426. 430. 435. 437. 442. - Palatinatus 131. 132. 398. 409. 411. 413. 420. 466. 467. 503. 504.
- VYSZOGROD, op. 447.
- WACKIEWICZ Alexander, sac. 51. 150. 181.
- WALENTYNOWICZ OSBM 69.
- WASIUTYNSKI OSBM 160.
- WAZYNSKYJ Porphyrius, OSBM 257n. 492.
- WEDRYCHOWSKI, sac. 407.
- WERCHOVIEN., monaster. OSBM 69.
- WERESZCZYNSKI 68.
- WEYMAR 188.
- WIERZBICKI, regens 200. 201. 258. 262. 263. 267. 297. 328. 329. 477.
- WIETRZYNSKI Maximilianus, OSBM 41.
- WILCZYNSKI 202. 477.
- WILEYKO OSBM 69.
- WINNICEN. 20.
- WISZPOLSKI 461.
- WIWCZARUK Stephanus, scr. 93n. 105n. 109n.
- WITWICKI Stephanus 20.
- WIZEWSKI Joannes 20. 380.
- WOJNAR Meletius, OSBM, scr. 257n.
- WOLODROVYCZ Felicianus, Ep. Chelm. (1731-1758) (passim) 3. 6. 7. 8. 11. 13. 14. 22. 23. 26. 27. 30. - Ep. Vladimirien. 24. 26 (Administrator). 27. 30-35. 38. 39n. 46. 50-52. 54. 55. 60l 71. 73-75. - Metropolita (1762-1778) 3. 77. 78. 80. 82-84. 86. 88. 89. 93-96. 98. 100. 101. 104-107. 109-116. 118. 119. 122-124. 129-135. 138. 139. 144. 145. 149-157. 166. 167. 170-172. 176. 177. 179. 180-185. 188n. 190. 193. 195. 198-209. 211-215. 220. 222. 223. 225-231. 234. 237. 243. 244. 248. 249. 253-257. 259. 262. 264-267. 269. 271.307-311. 314. 316. 318. 321n.-327. 330-335. 337. 338. 341. 344. 346-351. 355-359. 361-368. 370. 371. 373. 375. 376. 381. 282. 386. 392-396. 398-401. 403. 405. 407-412. 414. 419. 420. 423. 425. 429. 433. 434. 436. 437. 439. 441. 443. 445-447. 450. 452. 455-459. 462. 464. 467. 469. 472. 478. 484. 486. 487. 493-495. 504. 506. 507. 509. 510. (-12/2 1778 in Uman, in Ucraina).
- WOLODKOWICZ Xaverius 403. 433. 434. 469. 471. 472.
- WOLOWICZ Antonius Erasmus, Ep. Luceor. 1. 31.
- WORONA, dominus 200. 201.
- WORONNE, villa 345. 346 (Worony).
- WOYNARSKI Joannes, sac. 127.
- WULKA, praed. 410.
- WYDZGA, V-palatinus 50.
- WYGNOWSKI, dapifer 261.
- WYHOWSKI Romanus, sac. 20. 197. 218. 298. 335. 352. 368. 443.
- WYSOKIE, villa 368.
- ZABIELLO, venator 250.
- ZABILOCZE, villa 461. 487.
- ZABLOCKI Basilius, sac. 20. 218. 380. 443.
- ZABOTYN, op. 122. 166.
- ZACHARIASZEWICZ 252.
- ZAIACZEWSKI Basilius 20.
- ZALIZNIAK Maksym, cosacc. 125n.
- ZALUSKI Josephus, Ep. lat. Kiov. 186n. 309n. 492.

- ZAMOSC, op. 64 (Universitas). - Synodus (1720) 12. 14-17. 24. 25. 34n. 45. 85. 177. 178. 232. 238. 507. 508.
- ZAPRUDZIE, loc. 202. 487.
- ZARUSKI Taddaeus, OSBM 47.
- ZARZYCE, bona 47.
- ZARZYCE, loc. 47. 453. 479. (in suburbio Vladimir.)
- ZAWADOWSKI Andreas 80.
- ZAWADZKI Antonius, OSBM 266.
- ZBOINSKI Michaël de Ossouka 8.
- ZBOROW, op. 141n. (pacta).
- ZEKIERTH OSBM 57.
- ZELIKOWICZ Icko, judaeus 49.
- ZIENKOWICZ Michaël, Ep. Vilnen. 221.
- ZIENOWICZ Janusius 111. 112. 120. 121. 122.
- ZOCHOWSKYJ Cyprianus, Metropol. Kiov. 422.
- ZOLTOWSKI, dom. 417.
- ZORYN, villa 461.
- ŽUCHOWSKI Joannes 446.
- ŽULKIEW (ŽOVKVA), Archimandria OSBM 40. 64. 85n.
- ŽURAWSKI 434. 471.
- ŽYDYČYN, monasterium OSBM 73. 104. 353.
- ŽYRAWSKI Patricius, OSBM 69. 77.
- ŽYROVICE, monaster. OSBM 66. 68. (Acta Magdeburgenisa).
- ŽYTOMIR, op. 20. 150. 181. 183. 197. 199. 299.
- ŽYVOTOVIEN. 20 (decanus).

II.

**ELENCHI PONTIFICUM, RERUM, NUNTIORUM, METROPOLITARUM,
EPISCOPORUM ETC.
(1760-1780)**

1. Pontifices Romani

Clemens XIII	1758-1769
Clemens XIV	1769-1774
Pius VI	1775-1799

2. Nuntii Varsavienses

Antonius Eugenius Visconti	1760-1766
Angelus Maria Durini	1766-1772
Josephus Garampi	1772-1775
Joannes Andreas Archetti	1775-1784

3. Nuntii Viennenses

Antonius Eugenius Visconti	1767-1774
Josephus Ant. Taruffi, <i>Intern</i>	1774-1776
Josephus Garampi	1776-1785

4. Praefecti S. C. Prop. Fidei

Josephus Spinelli	1756-1763
Josephus Maria Castelli	1763-1780

5. Secretarii S. C. Prop. Fidei

Marius Marefoschi	1759-1770
Stephanus Borgia	1770-1789

6. Metropolitae Kiovien. catholici

Florianus Hrebnyckyj	1748-1762
Philippus Felic. Wolodkovycz	1762-1778
Leo Ludovicus Szeptyckyj	1778-1779

7. Metrop. Kiovien. non catholici

Arsenius Mohylanskyj	1757-1770
	1771-1782

8. Archiepiscopi Polocenses

Jason Junosza Smogorzewskyj	1762-1780
-----------------------------	-----------

9. Archiepiscopi Smolenscenses

Caesarius Stebnovskyj	1756-1762
Heraclius Lisanskyj	1763-1771
Josephus Lepkovskyj	1771-1778

10. Prothotronii Volodimirienses

Philippus Felic. Wolodkovycz	1758-1778
------------------------------	-----------

11. Episcopi Luceorien. - Ostrogien.

Sylvester Rudnyckyj	1752-1777
Cyprianus Steckyj	1778-1782

12. Episcopi Pinscen. - Turovien.

Georgius Bulhak	1730-1769
Gedeon Horbackyj	1769-1784

13. Episcopi Chelmen. - Belzen.

Maximilianus Ryllo	1759-1784
--------------------	-----------

14. Episcopi Peremyslien. - Samborien.

Onuphrius Szumlanskyj	1746-1762
Athanasius Szeptyckyj	1762-1779

15. Episcopi Leopoliën. - Camenecen.

Leo Szeptyckyj	1749-1779
----------------	-----------

16. Episcopi Mukacovienses

Emanuel Olšavskyj	1743-1767
-------------------	-----------

- | | | | |
|-------------------|-----------|-----------------|-----------|
| Joannes Bradač | 1767-1772 | Felix Turski | 1764-1770 |
| Andreas Bačynskyj | 1772-1809 | Antonius Okecki | 1770-1780 |
- 17. Protoarchimandrite Basilianorum**
- | | | | |
|-----------------------------|-----------|-----------------------|-----------|
| Hypatius Bilynskyj | 1759-1772 | Michaël Wodzicki | 1759-1763 |
| Porphyrus Skarbek Wazynskyj | 1772-1780 | Valentinus Wezyk | 1763-1766 |
| | | Andreas Młodziejowski | 1766-1768 |
| | | Josephus Kierski | 1768-1783 |
- 18. Procuratores Gen. in Urbe**
- | | | | |
|-----------------------|-----------|--------------------|-----------|
| Ignatius Wolodzko | 1760-1772 | Antonius Wollowicz | 1755-1769 |
| Hierotheus Korčynskyj | 1772-1780 | Felix Turski | 1770-1788 |
- 19. Capitula Gen. Basilianorum**
- | | | | |
|----------------|------|----------------|-----------|
| Berestense III | 1759 | Franciscus I | 1745-1765 |
| Berestense IV | 1772 | Maria Theresia | 1765-1780 |
| Tokokanense I | 1780 | Josephus II | 1765-1790 |
- 20. Archiep. Gnesnen. - Primates Poloniae**
- | | | | |
|----------------------|-----------|-------------------|-----------|
| Vladislaus Lubienski | 1759-1767 | Elisabeth Romanov | 1741-1762 |
| Gabriel Podoski | 1767-1777 | Petrus III | 1762 |
| Antonius Ostrowski | 1777-1784 | Catharina II | 1762-1795 |
- 21. Archiep. Leopoliensis. lat.**
- | | | | |
|------------------------|-----------|--|--|
| Venceslaus Sierakowski | 1760-1780 | | |
|------------------------|-----------|--|--|
- 22. Archiep. Leopoliensis. armen.**
- | | | | |
|------------------------------|-----------|--|--|
| Jacobus Steph. Augustynowicz | 1752-1783 | | |
|------------------------------|-----------|--|--|
- 23. Episcopi Cracovienses**
- | | | | |
|------------------|-----------|--|--|
| Caietanus Soltyk | 1757-1782 | | |
|------------------|-----------|--|--|
- 24. Episcopi Vilmenses**
- | | | | |
|--------------------|-----------|--|--|
| Ignatius Massalski | 1762-1794 | | |
|--------------------|-----------|--|--|
- 25. Episcopi Chelmen. lat.**
- | | | | |
|------------------|-----------|--|--|
| Valentinus Wezyk | 1752-1764 | | |
|------------------|-----------|--|--|
- 26. Episcopi Peremysliensis. lat.**
- | | | | |
|--|--|--|--|
| | | | |
|--|--|--|--|
- 27. Episcopi Luceorien. latini**
- | | | | |
|--|--|--|--|
| | | | |
|--|--|--|--|
- 28. Imperatores S. Romani Imp.**
- | | | | |
|--|--|--|--|
| | | | |
|--|--|--|--|
- 29. Czar Moscoviae**
- | | | | |
|--|--|--|--|
| | | | |
|--|--|--|--|
- 30. Reges Poloniae-Lithuaniae**
- | | | | |
|---------------------------------|-----------|--|--|
| Federicus Augustus II | 1733-1763 | | |
| Stanislaus Augustus Poniatowski | 1764-1795 | | |
- 31. Duces (Hetman) cosacorum**
- | | | | |
|----------------------|-----------|--|--|
| Cyrillus Rozumovskij | 1750-1764 | | |
|----------------------|-----------|--|--|
- 32. Cancellarii Regni Poloniae**
- | | | | |
|-----------------------|-----------|--|--|
| Joannes Malachowski | 1746-1762 | | |
| Andreas Zamojski | 1764-1767 | | |
| Andreas Młodziejowski | 1767-1780 | | |
- 33. - Cancellarii Lithuaniae**
- | | | | |
|---------------------------|-----------|--|--|
| Federicus Czartoryski | 1751-1775 | | |
| Alexander Michaël Sapieha | 1775-1793 | | |

INDEX GENERALIS

<i>Dedicatio</i>	V
<i>Praefatio</i>	VII
<i>Introductio</i>	IX

EPISTOLAE FELICIANI PHILIPPI WOŁODKOVYCZ

Metropolitae Kioviensis — pars secunda (1773-1778)	3
--	---

INDICES

Index nominum et rerum	513
Elenchi Pontificum, Rerum, Nuntiorum, Metropolitanarum, Episcoporum, etc. (1760-1780)	529

TABULAE

Stemma Ordinis Basiliani S. Josaphat	V
Effigies Feliciani Philippi Wolodkovycz	IX

« ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI »

Ex Sectione tertia « DOCUMENTA ...ex ARCHIVIS ROMANIS »

Monumenta Bio-Hagiographica

S. Josaphat - Hieromartyr. Documenta Romana Beatificationis et Canonizationis.

vol. I: 1623-1628; vol. II: 1628-1637; vol. III: 1637-1867; Romae 1952-1967.

Documenta Pontificum Romanorum

Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia:

vol. I: 1075-1700, Romae 1953; vol. II: 1700-1953, Romae 1954;

Audientiae SS.mi de rebus Ucrainae:

vol. I: 1658-1779, Romae 1963; vol. II: 1780-1862, Romae 1965;

Acta S. Congregationum

Acta S.C. de Prop. Fide Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarussiae spectantia:

vol. I: 1622-1667; vol. II: 1667-1710; vol. III: 1710-1740;

vol. IV: 1740-1760; vol. V: 1769-1862; Romae 1953-1955.

Litterae S.C. de Prop. Fide Eccl. Cath. Ucrainae et Bielarussiae spectantes:

vol. I: 1622-1670; vol. II: 1670-1710; vol. III: 1710-1730; vol. IV: 1730-1758;

vol. V: 1758-1777; vol. VI: 1777-1790; vol. VII: 1790-1862; Romae 1954-1957.

Congregationes Particulares Eccl. Cath. Ucrainae et Bielarussiae spectantes:

vol. I: 1622-1728, Romae 1956; vol. II: 1729-1862, Romae 1957;

Epistolae Metropolitanorum

vol. I. *Josephi Velamin Rutzkyj* (1613-1637), Romae 1956.

vol. II. *R. Korsak, A. Sielava, G. Kolenda* (1637-1674), Romae 1956.

vol. III. *C. Zochovskij, L. Zalenskyj, G. Vynnyckyj* (1674-1713), Romae 1958.

vol. IV. *L. Kiszka, A. Szeptyckyj, F. Hrebnyckyj* (1714-1762), Romae 1959.

vol. V. *F. Wolodkovycz, pars I* (1762-1773), Romae 1967.

vol. VI. *F. Wolodkovycz, pars II* (1773-1778), Romae 1969.

vol. VII. *L. Szeptyckyj* (1778-1779), Romae 1970.

vol. VIII. *J. Smogorzewskij* (1780-1788), Romae 1965.

vol. IX. *T. Rostockyj, H. Lisovskij, G. Kochanovycz* (1788-1812), paratur.

Litterae Nuntiorum Apostolicorum

Litterae Nuntiorum Apostolicorum historiam Ucrainae illustrantes (1550-1850):

vol. I: 1550-1593; vol. II: 1594-1608; vol. III: 1608-1620; vol. IV: 1621-1628;

vol. V: 1629-1638; vol. VI: 1639-1648; vol. VII: 1649-1651;

vol. VIII: 1652-1656; vol. IX: 1657-1659; vol. X: 1659-1663;

vol. XI: 1664-1669; vol. XII: 1670-1674; vol. XIII: 1675-1683; Romae 1959-1969.

Supplicationes Ecclesiae Unitae Ucrainae et Bielarussiae:

vol. I: 1600-1699; vol. II: 1700-1740; vol. III: 1741-1769; Romae 1960-1965.